Ἐν καιρῷ λόγος.

Sive

CONCIO ad CLERUM,

Latinè habita in Ecclesiâ B. MARIÆ CANTABRIGIÆ, Jun. 17. 1651.

De Naturâ, Necessitate, & Fine Hæresium.

A GUILIELMO SCLATERO SS. Theologiæ Doctore, Collegii Regalis in eâdem *Academiâ* non ita pridèm socio: posteà apud Exonienses, & Collomptonenses in comitatu *Devon*: Nùnc tandèm apud S. *Petrum* P. in vico vulgò vocato *Broadstreet*, in Civitate LONDINENSI,

CONCIONATORE.

Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν. 2 Pet. 2 1.

Permittuntur Hæreses, ut Fides habendo tentationem, haberet etiam probationem, Tertul. *De Præscript. adversus, Hær. c.*30.

Permittuntur Hæreses, ut Hæreticorum inquietudine scripturas vigilantiùs perscrutemur; undè, nè ovili Christi noceant, eis possit occurri, tanquàm de somno ignaviæ nostra excitetur industria. S. August. *Epist.*105. *ad Sixtum.*

LONDINI,

Excudebat *Gulielmus Bentley* Typographus, pro *Richardo Ireland*, & *Antonio Nickolson*, Bibliopolis*Cantabrigiæ*. 1651.



dâſſe fertur :liceat tamen (ſi placet) Nazianzeni *mentis aureæ verba bracteata jam denuò recolere :* τῶν μὲν (inquit*)* ἀρίστων μάλιστα μνημονευτέον, καὶ ὧν τὸ μεμνῆσθαι, ὅσιον τε ὁμοῦ καὶ ὠφέλιμον: *Fælix quidèm es Generis ſplendore , ſed fælicior meritis tuis : e cujus unius promptuario, ſi totius Nobilitatis Honos (quod abſit !) penitùs aboleretur, quamdiù Cæli terris adeò propitii eſſe volunt, ut te (Dominum Clementisſimum) dent nobis ſuperſtitem, reſtaurari posſit, utpotè qui ſis (ut verbis* [c] *Pindari me nùnc èxprimam)*

c *Pindar. Olymp.* od. 1.

——— δρέπων μὲν
κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν.

Et quod Cicero de Cn. Pompeio dixit, In uno tuo pectore [ſumma] ſunt omnia ; e quo velùt ex Amalthææ (ipſius Jovis nutricis) cornu, ſive ex ditisſimâ Pandôræ pixide, θεοσέβεια *. perindè ac Univerſum virtutis genus ſedulò excultum depromi poteſt : Et (quod de Irenæo* Tertullianus*) cùm ſis curioſisſimus Doctrinarum omnium explorator , Beatos eos omnes prædicemus Neceſſe eſt, qui te circumſtant : quaſi alter* [d] *Aloiſius redivivus, magis Res ipſas, quàm rerum umbras amplexaris :*

d Franc. *Guicciardin.* Hiſt. Fi[illegible] [illegible] lib. 1

ris : adeò ut, ubi ſedeas, βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος, *ubi deambules,* περιπατοῦν μουσεῖον *meritò dicaris : cujus quidèm horulæ, recreandi animi ergò ſucciſæ, magis ſunt ſeria, quàm plurimorum aliorum ſtudia maximè intenſa, atque elaborata : omnium ſcientiarum latifundia (Theologia cumprimis) perluſtrâſti : Juriſprudentiæ cujuſcunque generis oppidò quàm gnarus exiſtis; tamque peritè, ac adamusſim Artes cognoſcis ſingulas, tanquam univerſas neglexeras, ita calles univeaſas, tanquam ſingulas prætererieras : equidèm, in te uno videamus cunctas habitare ſcientias, quas in aliis mirari ſolemus ſingulas; Et quæ*

——— Sparguntur in omnes
In te miſta fluunt. ———

Ad quem non eſt qui accedit, quin diſcedat Doctior, & longè inſtructior.

Quid memorem auream reliquarum Virtutum tuarum Heroicarum *catenam? imprimis, raram illam (præſertim in Magnatibus) Reverentiam clero* Orthodoxo *exhibitam? prudentiam egregiam, Temperantià ſummam, munificentiam ſingularem? Undè fit, ut famulitium veſtrum totum â columellâ uſque ad*

me-

Illuſtriſſimo , ac magnificentiſſimo

Domino, *Henrico*, *Dorceſtriæ Marchioni*, Comiti *Kingſton* : Vice-Comiti *Newark* : Domino *Pierrepont*, & *Manvers*, &c. eximio Nobilium decori, ſummo Literatorum Hominum Mecænati, Fælicitatem omnimodam.

Honoratiſſime Domine.



Um ſuperioribus Comitiis, Laudatisſimâ ſolennitate celebratis, apud almam matrem Cantabrigiam, (*Academiam nunquàm non florentisſimam) concionem, ſimul & Theſin quandam Theologicam,(proùt Res tùnc poſtulavit,) habui; atque, pro ſubſtratâ utriuſque materiâ, Hæreſin (cujus virus, etiamnùm, in hoc mundi ſeneſcentis delirio, Infernalis Draco e ſuis faucibus exhalat) delegi: Ecce! poſtquàm peroraveram, viri ſummi, Univerſæ*

eruditionis præcellentiâ eximii, inſignes ibidèm Profeſſores, ſeriò adhortantes, ut diſruptis modeſtiæ (quâ ſuffundebar) repagulis, utramque typis mandarem, tandèm impetrârunt: Et ſic hanc meam qualemcunque opellam Eccleſiæ, uti ſpero, non infrugiferam, poſt examen ſuperiorum, qui ad clavum Univerſitatis asſident, approbatam, atque excuſam, Tuo Nomini (quanquàm, fateor, tanto honore prorsùs indignam) (Domine Munificentisſime) humillimè inſcribo; haud equidèm oblitus [a] *Pindari, (quo, cùm ſit Lyricus, delector admodùm.)*

[a] *Pindar. Olymp.* od. 6.

—— —— Ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
χρὴ θέμεν τηλαυγές.

De quo non poſſum ità magnificè loqui, id virtus quin ſuperet tua: Non eſt, quod antiquam proſapiam veſtram commemorem, ob quam dignus planè es, qui laudarêre, ſed non Ego idoneus qui laudarem; etenim, me mea tenuitas depellit, me hujus Rei deterret Amplitudo: Alexandri M. Effigies â Nemine niſi â ſolo [b] *Lyſippo efformanda erat; imperitum quemvis ſtatuarium, ne decoloraret, &* φαυλότερον *fortè redderet, ab hoc opere amandâſſe*

[b] διὸ καὶ [μόνον] Ἀλέξανδρος ἐκέλευε Λυσίππον εἰκόνας αὐτοῦ δημιουργεῖν. *Plutarch.* de Fortunâ *Alexand.* Orat. 2.

dâſſe

mediastinum sobrietati deditum, exemplo tam nobili, tamque illustri in obsequium cogatur: Sed (nè sim fastidio) seria magis te Carmina, (ut cum [e] Plinio *dicam) Honorque æternus Annalium, Non hæc brevis & pudenda prædicatio colet.*

e Plin. in Pan. yr.

> [f] *Quod si digna tuâ minùs est mea pagina laude,*
> *At voluisse sat est; superest animosa voluntas.*

f Annæus Lucanus ad Calpurnium Pisonem.

Quarè, suscipias obsecro (Serenissime Domine) chartaceum hoc, quod fero, munusculum, ut ex splendore Nominis tui, (quod propter spectatum in Cælesti veritate Zelum, præclarum candorem, & suavissimam morum comitatem, te omnibus Bonis reddit amabilem) etiam huic opusculo lux aliqua concilietur, & plures, sub vestro patrocinio, ad illud evolvendum inviten-tur: Ego non preciosæ magnificentiæ donaria, non gemmea, non aurea, sed, quod habeo, exiguum, animo offero vestræ dignitati devotissimo: Non minùs nobile (secundum illud Traiani Cæsaris *Apophthegma) summæque humanitatis est, [parva] lubenti, facilique suscipere animo, quàm [magna] largiri: Hoc pacto fias Temetipso quodammodò grandior, cùm Teipsum vincas; imò*

verò

verò ipsum altissimum imiteris, cui quidèm tam grata duo quandoque [g] *minuta, quàm majuscula locupletum* περισσευόντων *munera offerebantur.*

g Mar. 12. 42. λεπτὰ δύο.

Itaque, (dignissime Domine,) enixè peto, ut hoc qualecunque grati animi indicium, & monumentum pro favore in me hactenùs πλίονι μέτρῳ *& expansâ manu collato, apud te extare sinas: Etsi enim minimus sim inter eos, qui votis tuis obsecundant, minimam tamèn nolui esse meam in te observantiam, sed, pro facultate meâ, maximam; Nàm, sicuti cecinit* * *poëta Græcus,*

* Theogn.

——— οὔποτε σεῖο
Λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος.
Ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε, καὶ ὕστατον, ἐν δὲ μέσοισιν
Ἀείσω.

Ut verbo expediam, secundùm propriam tuam ipsius servitii Ideam, quasi Platonicè *plasmandus, formandusque, permanebo.*

Deus Noster Honori tuo concedat vitam prolixam, prolem piam, atque valentem, Domum tutam, & quæcunque Hominis literatissimi, ac nobilissimi vota sunt cœlum spirantia. Ita precatur.

Lond. Feb. 10. 1651.

Dignitatis vestræ studiosissimus.

Gulielmus Sclaterus.

MINISTERIO ANGLICANO,

(*præſertim verò* Londinenſi) *Orthodoxo*,

Salutem.

Reverendi Fratres.

COgitanti mihi ſæpenumerò, animoque mecum penſiculatiùs revolventi, quid in hoc noſtro exulcerato ſæculo(quo ſol, proh dolor! non vidit aliud certaminum, ac diſſidiorum, in Re præſertim Theologicâ, feracius) quid, inquam, potiſſimùm in cauſâ eſſet, quod ità peſſum eant omnia, ut Nobis (quantumvis nimiùm ſecuris) vix tamèn tutis adhùc eſſe liceat: obrepſit demùm iſta, quidlibet audendi, ſcribendique quicquid (etiam ultra crepidam) in Scioli cujuſvis *Buccam*, quaſi ἀπὸ μηχανῆς, venerit, ambitioſa, atque titillans affectatio: Undè fit, ut prælum furtivũ velut alter *Iſſachar*, ſub oneribus opinionum, ipſum Fidei fundamentum tantùm non revellentium, Ætnâ longè gravioribus, uſque

ad Sardonios Impostorum *Cachinnos*, sed ad stillantes Orthodoxorum Lachrymas (heu flebile spectaculum!) ingemiscat: Quod si Gangræna hæc ulteriùs serpere permittatur, neutiquàm mirabimur istiusmodi malè feriatos homines, lividæ, sacrilegæque superbiæ typho intumescentes, aculeatos suos, pessimequè loquaces calamos, tanquàm vibrata spicula, hastasque amentatas, in antiquam veritatem, ejusdemquè veritatis propugnatores θεοδιδάκτους intorquere.

* *Cassian.* l. 1. de Incarn.

Præclarè scribit *Cassianus*, morbo resurgente, nonnunquàm cessare debet medicina, sed quantò major est ægritudo, tantò constantior requiritur curatio: quibus autem medicis huic morbo, ità ecclesiæ corpus infestanti, in suppetias venire potiùs, quàm Theologicis *Orthodoxis*, persuaderem? Horum quidem numerus nobis, etiamnùm, (ringatur licet Hæresis malesana) inter tot æstus tumultuantium Temporum, inter tot ingruentium undiquâque calamitatum Fluctus, (quibus, ob peccata gentis hujusce peccatricis, Navis nostra Ecclesiastica, jam ultra septennium acta, atque agitata est) abundè suppetit: Quod ego in illustrissimam Ecclesiæ *Anglicanæ* (ipsi Christo Pe-

træ fundatæ) gloriam, atque in ſtupendam totius Europæ invidentiam, recolo.

Ecce! ex *Academijs* noſtris (prudentiâ paritèr, ac pietate ſummâ gubernatis) velùt e pharetris Domini â Cælo benedictis depromantur ſagittæ, quibus ipſa *Antichriſtianarum* Hæreſium viſcera penetrentur, in ruinam vitiorum, atque in ſplendidiſſimam Evangelii Chriſti propagationem: Quinimò, non deſunt civitatibus noſtris, (præcipuè Metropoli,) neque inſupèr parochiis ubilibet diſſeminatis, & diſperſis, inſigniſſimi Doctores, paſtoreſque fidiſſimi, qui non ſolùm Doctrinam ſanam, & ſalutiferam prædicant, ſed etiàm ipſum erroris jugulum petunt, atque contradicentibus ora obturant: Horum veſtigiis incedere cùm mihi cordi ſit, operam ego me Eccleſiæ haùd ingratam navaturum eſſe arbitratus ſum, ſi, juxta talentum mihi concreditum, aliquid elaborarem, undè [origo] ipſius Hæreseös, quæ ſic pulcherrimam veritatis faciem, ſub hâc mundi ſenectute, fœdavit, demonſtretur: Id certè in hoc meo qualicunque opuſculo conatus ſum; Non ut ego (qui me τῶν μὲν πάντων ἐλάχιστον palàm profiteor) facem doctioribus præferre, vide-

viderer, ſed ut Tales defectûum meorum miſerentes, iiſque veniam indulgentes, provinciam hancce duram ſuſciperent, uberiùs ornarent, & fæliciùs perpolirent: ſiquidèm, non pigebit me, ſicubi hæſito, quærere, nec pudebit, (cum * *Augustino*) ſicubi erro, Diſcere: ϗ πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται.

* *Auguſtin.* l. 1. de *Trin.* 1. *Cor.* 14. 32.

——— *Hæc qualiacunque*
Arridere velim, doliturus, ſi placeant ſpe
Deteriùs noſtrâ. ———

Quod ſupereſt, floreat, obnixè precor, atque in perpetuum clareſcat Eccleſia Anglicana, Orthodoxa tenens, & vitatis diebus (ſicùt loquitur *Tertullianus*) Canicularibus, ac mordacibus, pacèm cum veritate fovens, Fundamenta Fidei indiès magis, magiſque pandens, diſſidentes Hominum animos circa adiaphora, & circumſtantias maturè componens; denique, Atheiſmum (buſtum illud religionis, ſive ſanctimoniæ gurgitem) plenis fluctibus incurſantem præveniendo diſſipet; donèc ea, quæ nùnc in caſtris agit, militatque, triumphos demùm agat in Cœlis, & glorioſa palmarum ſpiritualium trophæa reportet.

Veſter in Domino ſymmiſta,
& cooperarius.
Gul. Sclaterus.

Dat. Lond.
Febr. 14.
1651.


Ἐν χώρῳ λόγος.

Sive

CONCIO ad CLERUM Latinè habita, in Ecclesiâ B. Mariæ, Cantabrigiæ, *Jun.* 17. 1651.

1. Cor. 11. 19.

Oportet enim & Hæreses esse inter vos, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.



On est in animo meo (Humanissimi Auditores) imò nec necessum me habere autumo, coram tam celebri, tamque illustri literatorum coronâ, (ut secundo favoris vestri Favonio fruar) prolixis, quasi præfando, verborum ambagibus uti; præsertim, cum ea sit textûs hujusce *Apostolici*, ἐυκαίρως (nisi fallor) à me nunc temporis, delecti, ratio & natura; ut sit planè *Verbum diei in die suo*, ideoquè suffragante [a] *Salomone*, *instar pomi aurei in picturâ deargentatâ globo insculpti*; utpotè qui ex seipso, ἄνευ πρϑοιμίων, tum aures vestras (tersas licèt, teretesquè) attentas, tum animos itidem intentos, detineat. [a] Pro. 25. 11.

Nam quod a beatissimo Salvatore nostro, ansâ apud populum concionandi arreptâ (quamtumvis alio sub themate) usurpatum legimus apud *Lucam Evangelistam*, capite quarto, versu vicesimo primo; id ipsum a me jam perorante haud inconcinnè applicari posse judico, nempe, σήμερον πεπλήρωται, hodie impleta est

hæc Scriptura in auribus veſtris quaſi [b] *Inimicitia iſta veteratorio ſerpentis antiqui aſtu*, primitus (cum ipſa adhuc Creatio in ſuâ infantiâ, Eccleſia ſaltem vix aut nè vix quidem in incunabulis, aut vagitu eſſet) inter *duo ſemina orta*, tanquam contaminatus ſanguis per univerſas *Adamiticæ* poſteritatis venas decurrens, uſque ad hodiernum diem diſſeminaretur; atque etiamnum in hoc ipſo nimis (proh dolor !) exulcerato ſæculo, & mundi (pene dixeram) tantum non delirio, inſtar turgidi cujuſdam *Diotrephis*, c *primatum ambiret*.

c 3 Epiſt. Iohn. 9.

Mundus ſeneſcens patitur phantaſias, vere dixit *Gerſon* Cancellarius Pariſienſis; quæ quidem phantaſiæ lineæ haud abſimiles Mathematicæ, ſemper diviſibiles in ſemper diviſibilia eſſe videantur : non enim partes ſolum inter nos ſunt, ſed partium (ô Patria, quæ ſalus te ſervet)[d] novæ Partes: Fratres ſumus (fateor)imò fratres uterini, ὁμοπάτριοι, ὁμομήτριοι, habentes unum, eundemque Patrem in Cœlis, unam, eandemque matrem (Eccleſiam reputo) in Terris (habere enim jam non poteſt, aſſerente [e] *Cypriano*, Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem) Aſt heu ! quod non magis in miſeriam, quam in pudorem planè pudibundum Chriſtianis cedat, ita partibns ſtudent quamplurimi, adeò affectibus abalienantur mutuo ut citius profecto inter ſe f Judæis olim, & Samaritanis conveniretur, (οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις) quam illis inter ſeſe, imo quam nobiſmet inter noſmet.

d *Iuſt. Lipſius* l.2.c.20. de Conſtant.

e *Cyprian.* de unit. Eccles. ſect. 5.

f *Iohn*. 4. 9.

An verò hiſce nos indiciis, an iſtiuſmodi characteribus reales *Chriſti* mediatoris Diſcipulos oſtendamus,

damus, penes Sanctos erit judicium: Audite *Christum* ipsum loquentem *John.* 13.35. in hoc, (Emphatice) in hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei sitis, si dilectionem habetis inter vos: de *Christo* ipso vaticinatus est olim Evangelicus Propheta *Esaias*, quod sit futurus [g] Princeps Pacis: pacem eam (utpote veram animarum requiem) per totius prædicationis suæ curriculum [h] fessis, & conquassatis Conscientiis promulgavit; pacem insuper eandem prædicandam Discipulis suis in orbem terrarum missis demandavit, *Lucæ* decimo, versu quinto; pacem (aio) quæ, secundum [i] *Chrysologum*, presentes sociat, absentes invitat: pacem denique quam unicam, solam, & præcipuam, (extremum exhalans Spiritum,) Testamenti loco, iisdem legavit: *Johannis* decimo quarto, versu vicessimo septimo: postremo Resurrectione etiam sua peracta, sub eodem pacis nomine, uno eosdem ore salutavit omnes, *Luc.* 24.36. Hæc equidem *Christi* praxis: jam verò non minima religionis pars est, imitari quem colis: atque, ut [k] *Bernardi* verbis astipuler, operæ pretium est, ut sicut sumus Hæredes nominis, ita simus & imitatores Sanctitatis: nam, *Christi* nomen induere, & non per *Christi* viam pergere, quid aliud, *Teste* [l] *Cypriano*, quam prævaricatio est divini nominis? οἱ σύμφωνοι τοῖς ἔργοις λόγοι ἄριστοι ait maximus *Tyrius*, Philosophus *Platonicus*: πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανοὺς ἀλλὰ καὶ εἶναι, ait σύγχρονος ille Apostolorum, (refragante licèt *Salmatio*) [m] *Ignatius*: aliter (mihi credite) id nobis, jure optimo, vitio verti possit, quod memini me per Historiam accepisse, de duobus necessitudine quadam intima sibi

[g] *Isa.* 9. 6.

[h] *Math.* 11. 28.

[i] *Chrysolo.* Ser. 138.

[k] *Bern.* Medit.

[l] *S. Cypria.* de zelo & livore, sect. 10. si re priveris, nec nomen habere mereris.

[m] *Ignatius*, Epist. 3. ad magnes, vid *Conrad. Dieteric.* in *Festo. Cœnæ.* Dom. *Palmar.* in fine.

invicem oppidò devinctis, quorum nomina ab eo, quod uterque profitebatur, valde diffidebant; erat autem uni nomen *Hippocrates*; Alter vocabatur *Sosander*: Horum primus in suo nomine comprehendebat ἵππον, Equum; Secundus vero in suo, ἄνδρα, virum: & tamen *Hippocrates* Clarissimus Medicorum, & facile Princeps evasit; verum *Sosander* equorum curandorum peritia magis præcelluit: quod cum tertius quidam accuratius observavit, μετάθετε (inquit) τὰ ὀνόματα, Exclamavit seriò; aut commutate nomina vestra, aut Artes istas, quas sic quasi ex transverso calletis, derelinquite: Namquè, non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur, *Christi* Nominatio, & Antichristi conversatio, *Christi*, videlicèt, Pacis amatoris, & Antichristi litium, discordiarumquè seminatoris.

Ut autem hoc luculentius appareat, intendamus, si placet, oculos, quasi reflectendo, ad versum hujus ipsius Capitis decimum sextum, ubi sanctissimus Paulus Sectarum osor, at veritatis ubique, pacisque propugnator acerrimus, aperto ore declarat; Si quis videtur contentiosus esse, nos, inquit, hujusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei: Nec mirum, propterea quòd si rixarum, simultatumque sentes radices in agro Dei agere permittantur; tùnc sanè ex invidiâ Diaboli, animarum fidelium saluti, per media salutis in Cænâ Dominicâ (de quâ in hoc capite agit Apostolus) ijs oblata, proficere cupientium, insidiantis; Fructus omnis si non prorsus suffocetur, at saltèm maximè impediatur.

Scopus Textus. Et certe id vult Apostolus, ad hunc scopum ex hoc

hoc Textu, collimat, ut omnes dissentionum schismatumquè fibræ penitùs amputentur; imò si fieri poterat, ipsissima etiam schismata radicitus evellantur: Talia autèm apud Corinthios, per subdolas Pseudapostolorum grandiloquentium imposturas grassari, animum induxit suum ut crederet; prætèrquàm è famâ (quæ jàm undiquâque percrebuerat) Argumento â majori ad minus desumpto: Etenim si Hæreses, quæ sunt mala majora, oportet esse, Tùm probabile est, quòd Schismata (mala quodammodò minora) adoriantur; At primum verum; Ergò, et posterius: Ità enim legimus, oportet enim & *Hæreses esse inter vos, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.*

Atquè sic monstrato verborum scopo, ut ordine deinceps progrediar, & totius materiæ seriem textûs hujusce integumentis involutam patefaciam, singulæ ejusdem partes methodi Analyticæ quasi clavi, hoc modo reseratæ, recludantur.

Primò, De naturâ Hæresium, quid sint, inquirendum; & de partibus earundem Constitutivis agendum est. Divisio. 1.

Secundò, De Necessitate Hæresium, quomodò, & quâ ratione [oportet] ut sint, considerandum. 2.

Tertiò Locus, ubi originem, ortum, ac progressum sortiuntur suum, dispiciendus, ἐν ὑμῖν, Inter vos, id est, Inter vos Corinthios, apud quos Ecclesia jam fundata, & Plantata est; ut liquidò cuivis versum secundum Capitis primi hujus Epistolæ intuenti patet. 3.

Quartò, & ultimò, Finis, ob quem, in Ecclesiâ 4.

Dei oriri permitanttur, discutiendus venit; ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γίνωνται ἐν ὑμῖν, Ut qui probati ſunt, manifeſti fiant Inter vos.

Hi ſunt limites, Hæ menſuræ tùm ſermonis qualiſcunqué mei tùm veſtræ (Candidiſſimi Academici) ſi modò eam mihi enixè obteſtanti largiamini, Patientiæ: Deus autèm noſter, & mihi dicendi gratiam, & vobis audiendi deſiderium donare dignetur: ſuccinctè ſingula, & quâ potero brevitate perſtringam; Idque ſtylo quidem humili, minimeque elato, ſed naturali tantum pulchritudine exurgente, ornato certè hoc ipſo, quod ornamenta neglexerit: A vobis autem peto, (viri Patres, Fratreſque in *Chriſto* chariſſimi) quorum judiciis ſolidioribus omnia penſitanda committo, ut benignis animis, & auribus attendatis.

pars prima.

Ordiar Ego, ſi placèt; & initium ſumam ab ipſa Hæreſium natura, & quid ambitu ſuo comprehendunt, explorabo: Et ſicut mulier illa Evangelica, *Luc*, 15. 8. prius accendit lucernam, quam vel domum ſuam ſcopis purgaret, vel drachmam ſuam amiſſam diſquireret; Ita Ego, antequam rem ipſam aperiendam aggrediar, Nomen illud, quo nobis eæ deſignari ſolent diſquirendum ſentio: Ἀρχὴ μὲν γὰρ παιδεύσεως ἐστιν ἡ τῶν ὀνομάτων σκέψις, ait *Epictetus*; cujus quidem dicti rationem, apud [n] *Juſtinum* Martyrem, in ſua ad Græcos cohortatione redditam habemus: τὰ γὰρ ὀνόματα εἰς δήλωσιν καὶ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων. Nomina rerum Naturis tum deſignandis, tum diſcernendis, apprime inſerviunt.

n *Iuſtin.* martyr. p. 15. in Cohortat. ad Græcos.

Iam verò, quod ad nomen [Hæreſis] attinet, illud

illud non a fonte *Latino* derivatur, quasi Heresis ab Hærendo dicta sit; quod quis suo tantum innitens judicio illi pertinaciter [adhæreat;] in qua sententia o *Petrum* quendam de *Palude* fuisse legimus: multo minus ab obsoleto verbo [erciscor,] significante, dividere, prout opinatus est p Hostiensis, reliquique autores ejusmodi ineptia perindè ac linguarum imperitia laborantes: sed q Græcam potiùs originem habet, ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, sive τοῦ αἱρεῖν, quod eligere significat, deducto Nomine, & sic largo quodam sensu, opinio quævis, aut sententia, quam sibi quispiam vel a se inventam, vel ab alio receptam r elegerat, dicebatur Hæresis: & ita quidem ab ipso *Cicerone* (in suo ad Paradoxa procemio) usurpatam legimus; *Cato*, inquit in ea est [Hæresi] quæ nullum sequitur orationis florem; atque in hac primigenia, sive generali nominis acceptione, variæ Philosophorum veterum γνῶμαι, absque omni ignominiæ nota, a Latinis s Sectæ, a Græcis verò Hæreses dicebantur; & quod minime diffitendum, etiam in ipsis Sacris postea, Nomen hoc in bonam nonnunquam, perindè ac in malam partem indifferenter accipiebatur; Ita P*aulus* de se testatur *Act.* 26. *vers.* 25. quod κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην [αἵρεσιν,] secundum accuratissimam Religionis suæ [Hæresin] vixerit Pharisæus: similiter & *Act.* 24. 14. coram fœlice præside Apologiam suam faciens; *Confiteor autem hoc tibi, inquit, quod juxta viam, quam vocant* αἵρεσιν, *Haresin Sic servio Patrio Deo:* sed (ut me contraham) succedentibus deinceps temporibus, usus præsertim apud Theologos Christianos obtinuit, ut in malam tan-

o *Petrus* de *Palude*, in 4. sent. dist. 13.
p Hostiens. in summa.
q *Ioh. Altenstaig* lexic. Theolog. p. 375. in verbo, Hæresis.

tantum partem acciperetur; sicut recte observavit t *Lambertus Danæus*; & legimus *Actor.* 28. *vers.* 21. quapropter etiam *Sanctus Paulus Gal.* 5. *vers.* 20. Hæreses æque ac ipsa veneficia, & Idololatriam inter spurcissima carnis opera meritissime accensuit; atque ob eandem causam a *Sancto Apostolo Petro*, 2. *Petri* 2. 1. αἱρέσεις ἀπωλείας vocatæ sunt, utpote quæ certo Hæresiarchis, eorumque sequacibus ruinam penitus, ex eventu suo, Damnationemque æternam, & minitantur & adferunt. Denique (ut quod Nomen spectat expediam) ad quæstiones solius fidei Christianæ, in quâ error quispiam pertinax, vel retentus, vel defensus est, restringebatur: sic aperte legimus apud *S. Paulum Tit* 3. 10. αἱρετικὸν ἄνθρωπον, Hæreticum hominem, qui nempe Talem se exhibeat in fide Christiana, & veritate catholica, post unam aut alteram admonitionem devita; est enim αὐτοκατάκριτος, a seipso condemnatus; velut alter ἑαυτὸν τιμωρούμενος, intus saltem aculeatis conscientiæ stimulis exagitatus, quasi tædis ardentibus acerrime exustus perstat.

t *Lambert. Danæus*, in prolegom. Annot. ad S. *August.* l. de Heræsibus, Cap. 3.

Atque Hactenus de Nomine Hæreseos dicta sufficiant: Ast verò, quod è *Galeno* ille, qui veluti fulgens jubar in Ecclesiâ nostrâ *Anglicanâ* non itâ pridem resplenduit, Episcopus * Wintoniensis, annotavit; ἐν ὀνόμασι μὴ ἐγχρονίζειν, ideoque in nominis solius cortice nequaquam hærendum est: quare Rei ipsius Definitio, aut saltèm descriptio proxime disquirenda venit.

Quam autem, qualemve omnibus numeris absolutam adducam *Ego*? Cum ipse u *Augustinus* ingenuè fateatur

*Epus *Winton.* p. 115. quæst. de usuris, inter opera Posthuma.

u *S. August.* de Hæres. ad quod vult Deum, in Præfat.

fateatur, ſub regulari ullâ definitione illud omne, totumque, quod adamuſſim Hæreticum univerſaliter complectatur, aut omnino non poteſt, aut difficilime poteſt explicari: At bene habet, agedum; *Difficilia quæ pulchra*; ἰδεῖν ἐπιπόλις τῶν μεγάλων, inquit *Plato*; eò magis noſtra nobis induſtria & acuenda, & excitanda eſt. Itaque præſidio nixus divino, necnon univerſum Theologorum (& præ aliis Scholaſticorum) ductum ſimul & concentum ſecutus, ex eorundem promptuario deſumptam deſcriptionem hiſce terminis accipitote.

Hæreſis eſt error pertinax hominis Chriſtiani Fidei Catholicæ, ex parte, contrarius. Eam ſic nobis quaſi per manus ab Antiquioribus receptam tradidit Cardinalis [w] *Toletus*; & limatiori ſtylo politam nobis dedit *Franciſcus Maſonus* [x] noſter, & noſtrâs, Theologus de miniſterio Anglicano optimè meritus.

In hâc qualicunque Definitione. 1° Genus, eſt Error; quandò aut falſum pro vero, aut verum pro falſo apprehenditur. 2° Objectum, Circa quod verſatur, non Phyſica eſt, ſive Humana; ſed [y] Sacra ſolummodò Veritas, & Divina. 3° Subjectum capax Hæreſeos eſt homo ſolus; Nec tamen homo quivis, aut quilibet è corpore ac animâ rationali conſtâs; ſed homo Fidei Chriſtianæ initiatus, & Baptiſmo, externo ſaltem, & viſibili Chriſtianiſmi charactere ſignatus. 4° Quantitas hujuſce erroris non eſt tota atque *Univerſalis*, ſed tantum ex parte. 5° Qualitas erroris hujuſmodi, ſeu malles differentia ſpecifica, quæ ad propriiſſimam ſuam naturam format hære-

C ſin,

Deſcriptio Hæreſeos.

w *Card. Tol.* de inſtruct. l. 4. c. 3.

x *Franciſc. Maſon.* l. 2. c. 10. p. 164. & c. 13. p. 197. 198. de miniſter. *Anglicano.*

y Hæreſis eſt dogma falſum [Fidei] contrarium Orthodoxæ, id eſt, Error contrarius Catholicæ veritati. *Occam*, l. 2. Dialog. par 1. c. 6.

sin, est P*ertinacia*; Cum quis pertinaciter, ac obstinato animo, adversus agnitam, & receptam priùs veritatem Christianam, διαῤῥήδην sese sistit, atque opponit: Hæc summatim,& quasi συλλήβδην dicta sunto.

Sed quoniam Universaliter pronunciata (asserente *Rodolpho* [z] *Agricolâ*) supina sæpè videntur, & otiosa; ad particularia descendam; vt sic, singula vobis ante oculos quasi * τετραχηλισμένα obversentur.

z *Rodolphus Agricola.* l. de Invent.
* *Heb.* 4.13.

Atque ut Spartam hanc quam sic nactus sum,fœlicius ornem, sub duobus tantum capitibus complectar totum. Primò, quænam supponit. Secundò, quænam implicat, aut includit Hæresis, dispiciam: Incipiam a supponendis. Primò, Hæresis supponit scientiam saltem superficialem, & in labiis natantem, sive elementarem, Doctrinæ Evangelicæ, in Ecclesia Dei, traditæ, agnitæ, & κατ' * μόρφωσιν receptæ, defensæque, hinc legimus in textu, quod oportet esse Hæreses [inter vos,] vos, inquam, *Corinthios* Actu in Ecclesiam visibilem vocatos: nonne hac ipsa de re *S.* P*aulus*, *Actor.* 20. *ver.* 30. Præmonitum voluit, simul & præmunitum *Timotheum*, primarium Ecclesiæ *Ephesinæ* inspectorem; Cum post discessum ab eo suum, lupi graves ingressuri essent gregem Dei, non parcentes illi καὶ [ἐξ ὑμῶν αὐτῶν] etiam [ex vobis ipsis] (inquit) exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant Discipulos post se: eodem etiam recidit, quod idem nobis Apostolus in spiritu prædixit, 1. *Tim.*4.1. in posterioribus temporibus quidam discedent a Fide, id est, a Fide Dogmaticâ, & Doctrinâ Christianâ, semel ab iis (interpretante Estio) susceptâ; & specie-tenus, quoad intellectum suum approbata:

Quænam supponenda sunt in Hæresi constituenda.

* 2.*Tim.*3.5

probatâ: ſimiliter & *S. Iohannes*, 1. *Ioh* 2.19. Exierunt ex nobis, inquit; quinam verò? impuros iſtos, putidoſque Hæreticos, Ebionem, & Cerinthum intelligit; qui fœtido halitu ex ore eorum rancido prodeunte, blaſphemias adverſus Chriſti θεότητα nequiter eructantes, anſam præbuere *Iohanni* Apoſtolo (Hortatu inſuper, ut præſtet, ſi [a] *Hieronymo* credamus, Aſianorum τῶν πάνυ Theologorum addito (ſuum illud tam ſublime, & nullis niſi verè Aquilinis oculis inſpiciendum Evangelium, ſcribendi: importunæ iſtæ belluæ, quæ ſic boatu ſuo Eccleſiam Chriſti puram perturbârant; Impoſtores (inquam) peſſimi, (aut ſi quid addi poſſit flagitioſius) ſub larva quadam externi Chriſtianiſmi primò deliteſcentes, tandem, retecta facie, exierunt inſani Hypocritæ; ſi non fortè [quod *Beza* annotavit] mutatione loci, aut Perſonarum amotione; at certe Doctrinæ Chriſtianæ, & ſynceræ deſertione, ex corrupto ſuo judicio exierunt; ſed primo tamen, unà cum Apoſtolis, & reliquis Fidelibus [ſuffragante nobis *Hieronymo* [b] *Zanchio*] doctrinam Fidei amplexabantur: Huc etiam referri poſſe videatur quod *S. Petrus* ſcripſit, 2. *Pet.* 2. 1. de quibuſdam pſeudoprophetis, qui abnegabunt Dominum, qui emit eos, id eſt, qui emit eos, ſive Putative, ratione privatarum ſuarum de ſeipſis opinionum, ſive Reputative, ratione judiciorum aliorum Charitate ductorum, empti enim ſunt a Domino quem repudiârunt, ſolum κατὰ δόξαν, & æſtimative, nequaquam verò κατ' ἀλήθειαν, & Realiter: nemo, inquit [c] *Cyprianus*, æſtimet Bonos de Eccleſia poſſe diſcedere; Triticum non rapit ventus, nec ar-

[a] *Hieron.* lib. de ſcriptor. Eccleſiaſt. confer *Barrad.* l. 1. c. 4. concord. Evangel.

[b] *Hieron. Zanch.* inter miſcellan. p. 107. de perſever. Sanct. & D. Prideaux lect. 6. ſect. 11. de perſeverant. Sanctor.

[c] *Cyprian.* lib. de ſimplicit prælat.

borem solida radice fundatam procella subvertit; inanes paleæ tempestate jactantur; invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur: ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent nobiscum: quemadmodum a caulis dispalantes, errantesque oves olim fuerunt de ovili; & sicut rebellis, aut perduellionis forsan reus quondam legitimo suo ἡγεμόνι, ut fidelis subditus obsequium præstitit; & veluti ramus abscissus semel vegetus germinavit, floruitque in arbore; Ita ipsissimi Hæretici jam depravati, semel tamen (morbida licet, ac languida,) at externa Corporis Ecclesiæ visibilis membra extiterunt. Huic consentit id, quod apud [d] *Tertullianum* legimus; quod primum, verum; falsum, quod posterius; itidem, adversus *Marcionem*, id verius, quod prius, id prius, quod est ab initio id ab initio quod ab Apostolis, &c. Et alibi, in omnibus veritas imaginem antecedit, postremo, similitudo succedit: quid quod [e] vera, & recta religio semper solet prædicere Hæreses ut demum eventuras; simul & cautos facit Ecclesia Filios suos ne ab Hæreticis seducantur: Quare Fidei Christianæ se prius obligarit quis, necesse est, id est, dicente [e] *Danæo*, Sacramentum Christianismi susceperit, quam Hæreticus dici possit; Hinc Antichristus ille, Homo peccati, sedere in ipso [f] Templo Dei dicitur, id est, in ipso sinu Ecclesiæ; vbi, dum Ecclesiæ nomine armatur, aperto Marte contra Ecclesiam dimicat: Itaque Hæresis est error non quilibet, nec quorumlibet; sed [uti Doctissimus [g] *Feildus* noster ex *Guilielmo Occamo* observavit] eorum, qui professione-tenus,

sive

[d] *Tertull.* advers. Prax. & l. 4 advers. *Marcion.* it. de præscript. advers. Hæres c. 29. 30.

[e] *Danæus*, ubi supra. p. 11.

[f] 2. *Thess.* 2. 4.

[g] *D. Field.* de Eccles. l. 3. c. 3. *Occam*, l. 3. Dialog. c. 2. 3.

five κατ' δόξαν, Christianam Fidem præ se tulerunt, deinde, post, defecerunt; Atque hac ipsa nota ceu Characteristica discriminatur Hæresis a [h] Iudaismo, Paganismo, Turcismo; istiusmodi enim errores qui sectantur, Infideles proprio vocabulo, nequaquam autem Hæretici appellandi sunt. *Festino.*

Secundò, Id quod supponit Hæresis, est ut [quædam] adhuc retineantur, quæ veritatem Christianam sapiant, saltem in quodam particulari; Nam etiamsi in axioma Theologicum jamdiu abiit, quod, scilicet, Articuli Fidei sint copulativi; cum Fides se ad omnia credibilia extendat, inquit [i] Halensis; Ita ut qui vel [unicum] Fidei articulum abnegaverit, in nullo sanus, aut solidus judicetur, ut rectè [k] *Thomas*; similiter & [l] *Basilius*, improbitas (inquit) & perfidia circa [unum] aliquod eorum, quæ creduntur, totius Deitatis Abnegatio est: Tamen vix totum, & ubique, aut Fidei symbolum, aut Doctrinæ fundamentum abjurant: Ita [m] *Augustinus* de ipsis Donatistis errantibus sæpius affirmat, quod in [multis] erant secum, in [multis] inquam; licet in Schismate eos reliquerit solivagos: In hoc verò, quod plurimis rejectis quædam retinentur, Hæreticus discrepat a totali, & absoluto Apostatâ; Talis enim qui fit, non a parte tantum, sed ab omni, omnimoda, atque in universum prorsus a veritate Evangelicâ prius agnita, totus Homo deficit, recedit, prolabitur.

Tertiò, Sunt qui ad hæc supponenda etiam hoc adjiciunt, nempè, quod commune disputandi principium, scripturam, videlicet, sive partes scripturæ (saltem quoad literam) retineant: sic pridem annotavit

[h] Olim non inter Turcas, aut Judæos, aut Ethnicos; neque nisi qui de Christianis essent, Hæretici audiebant. *Epus. Winton.* in Tortura torti, p. 304.

[i] *Alex. Hal* 3, part. 2 q. 159 mem. 7.

[k] *Thom.* 2. 2 q. 5. art. 3. in corp.

[l] *Basil* serm. contr. *Sabell.* & *Arrium.* t. 2 p. 368.

[m] *Augustin.* de Baptis. contr. Donatist. l. 1. c. 1. &, Epist. 4. &, in Psal. 54.

notavit is, qui mores eorum sat probe noverat [n] *Vincentius Lirinensis*; Mos est, inquit, Hæreticorum Scripturarum umbraculis errores suos pessimos obtegere; similiter & *Tertullianus*, suadere non possent de rebus Fidei, nisi ex literis Fidei: Haud aliter profecto, quam cum ipse Hæreseōs Princeps Diabolus (sicut eum appellat [o] *Athanasius*) ipsissimum Ducem salvationis nostræ *Christum* adortus est, *Matth.* 4. *vers.* 6. scilicet, ut pillulas tentationum suarum deauratas præsentaret; γέγραπται (inquit) scriptum est, Angelis suis mandaturus est de Te; Et in hoc etiam discernuntur Hæretici ab Infidelibus, qui in [totum] scripturis fidem abnegant: Ita enim *Pelagius*, *Arrius*, *Manichæi*, neutiquam in universum [totius] scripturæ authoritatem denegârunt; sed ex eadem, quamvis mancè (ut in loco *Matthæi* Diabolus salvatori) & mutilate, & sophistice allegata, errores suos perniciocissimos defendere conati sunt: At certe, non simplex scripturarum citatio, sed scripturarum allegatarum recta, & apposita applicatio, Orthodoxum ostendit: Etenim, sacratissima Dei oracula, Non solum ratione materiæ, sed etiam ratione formæ, torqueri posse dicantur; Ratione Materiæ, sive verborum in eis descriptorum (non diffitente ipso [p] *Bellarmino*) si una litera, imò si vel minutissimum Jôta mutetur, non ampliùs significat id quod antea significabat; Ratione Formæ, id est, sensus etiam depravantur scripturæ; Apices enim (sicut loquitur [q] *Hieronymus*) sine Crimine sunt [sensus] in Crimine; non in legendo, sed in intelligendo scripturæ consistunt; atque idem alibi, quicunque (ait) aliter

n *Vincentius Lirinensis*, c. 35.36.37. in commonitor. advers. Hæres. & *Tertull.* de præscript. c. 14.15.16.

o *Athanasius* orat. 1. contr. *Arrian.* tom 2. p. 110.

p *Bellarmin.* l. 3 c. 6 de Cultu Sanctor.

q *Hieron.* contr. *Luciferianos* — c. 5. *Galen.*

aliter, hoc eſt, (interpretante [r] *Halenſi* & approbante [s] *Aquinate*) contrarie, ſcripturam intelligit, quam ſenſus ſpiritus ſancti, a quo ſcripta eſt, efflagitat; licèt ab Eccleſia non receſſerit, tamen Hæreticus appellari poteſt : Ita quidem de *Valentinianis* [t] *Irenæus* (antiquus ſcriptor) una cum *Epiphanio* refert, quod nequiter tractantes eloquia Domini, pravi expoſitores probe dictorum fiunt, * pervertentes interpretationes, & malitioſe adulterantes expoſitiones : imo vero quod de Gnoſticis iſtis ſpurciſſimis idem ſcripſit [v] *Epiphanius*, ubi verbum repererint aliquod, quod ad obſcœnæ concupiſcentiæ ipſorum ſimilitudinem formari non poſſet, Hoc a mundano ſpiritu profectum eſſe ſomniabant : eadem etiam, ſub [w] *Cypriano*, conſuetudo invaluit, tunc enim corruptores Evangelij, atque interpretes falſi, extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partis memores, & partem ſubdole comprimentes : Aut ſi locos aliquos integros fortuito allegant, tamen quod Theologus (piæ apud nos memoriæ) ſuaviſſimus [x] *Whitakerus* contra *Petulantem Duraum* annotavit; nequaquam in ſcripturis [ſolis] acquieſcunt : Vt compendio dicam; caput hoc ſupponendorum circa Hæreſin, Duorum antiquorum Patrum ſententiis concludam; unius, [y] *Hieronymi*, ne putemus (inquit) in verbis ſcripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu; Alterius verò [z] *Tertulliani* toties â me citati, Tantum (ait) veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus; namque, non in ſuperficie, ſicut Hæretici, ſed in medullâ conſiſtere, ſicut Orthodoxi Theologi, Sacro-Sancta, atque infallibilia Domini noſtri

r *Hales*, mem. 1. qu. 163. p. 739

s *Thom.* 2. 2. q. 11. art. 2. ad 2.

t *Irenæus* apud Epiphan. Hær. 31. p. 82. & 86.

* Quod non recte [colligerent] ſenſum è ſcripturis Sacris, fit obratiocinatio, unde falſi ſunt ſæpiſſime Hæretici. Ruizius, regul. 74.

v Epiphan. Hær. 26. pag. 41.

w *Cyprian.* ſect. 10. de unit. Eccleſ.

x *Whitaker.* ſect. 16. l. 1. contr. *Duraum*, p. 60.

y *Hieron.* in c. 2. ad *Gal.* confer Juel. contr. *Hardinge* repl. 2.

z *Tertullian.* de præſcript. c. 17. cum Pamelio.

nostri oracula æstimare debemus.

Atque ita, si non sicut voluimus, saltem sicut pro nostra tenuitate potuimus, ea, quæ ad hanc lernam Hæreséos detegendam, ab Orthodoxis Theologis [supponenda] sunt, absolvimus.

Superest jam, ut pauca de iis quæ eadem in natura sua [includere, sive implicare] statuitur, subjiciamus: eadem, qua cœpistis, obsecro, benevolentia audiatis.

Implicanda in Hæresi.

Ea autem quæ implicare Hæresis dicatur, sunt hujusmodi: Primo loco, non tantum includit assertionem quandam temerariam (quemadmodum loquuntur Scholastici) absque omni authoritate, sive manifesta aliqua ratione, ad eandem confirmandam, susceptam; sed & errorem, & talem quidem qui falsitatem implicat, etiam in ipsa conclusione.

Secundò, quod ad ejusdem erroris arrepti qualitatem spectat, idem error est judicij, non morum, in ratione, & judicio positus, non in Factis; secundùm illam ab omnibus receptam sententiam; *viz*, [Factum] sine errore non facit Hæreticum; verbi gratia, Adoratio, sive cultus ipsis Dæmonibus oblatus, quamvis Idololatria sit usque ad Inferorum portas abominanda; si tamen absque opinione Deitatis in istiusmodi spiritibus subterraneis residente, fiat, non est dicenda Hæresis: sola enim res effecta, absque judicio intellectus definientis, Peccatum esse potest, Hæresis autem minime, sicuti rectè asseruit a *Alphonsus à Castro*: Atque ex hoc itidem Characteree facilè queamus dijudicare inter Hæresin, in hoc versu textûs nostri, & Schisma, cujus in superiori

a *Alphonsus a Castro* l. 1. adversi. Hæres. p. 3.

riori versu mentio facta est: Hæresis enim falsis Dogmatibus Fidei sinceritatem corrumpit; Schisma vero, interdum etiam in Fidei similitudine, societatis, ac unitatis vinculum disrumpit; prout b *Augustinus*, unà consentiente *Petro* c *Martyre*, reliquoque neotericorum Theologorum [judicio pollentium] choro, rectè discriminavit: quare etiam profundioris judicij Theologi omnium temporum tenuêre, quod [morum d] depravatio sola, absque Hæreticâ judicij sive opinionum pravitate, non est sufficiens causa, ut quis ab ullâ Ecclesiâ universam faciat separationem.

b *August.* au. contr. G S. *dent*. l. 2. c. . c *Petr*. *Martyr*. loc. Com. class. 4. c. 6. *Francis. Mason*, l. 2. c 10. de minister. Anglic. cui consentit *Bonaventura*. dist. 13. lib. 4 circ. text. d Episc. *Mortonus*, c. 15. sect. 6. *Grand impostur.*

3. Tertiò, Error iste, sicuti est error judicij, non morum, aut facti; ita etiam pro objecto (ut ita dicam) materiali habet rem tantùm Theologicam, sive (ut vocant) Fidei, seu Doctrinam Evangelicam: Errores in *Physicis*, *Ethicis*, *Mathematicis*, cæterisque omnibus Philosophiæ partibus, maximi esse, & qui forte etiam palpari possunt; At * quos talibus implicatos videmus, ex Hæreticorum tamem albo penitus expungimus; illi enim propriè, in rebus solius Fidei Christianæ corrupta habent judicia, 1. *Tim*. 4. 1.

* *Thom*. 2. 2. qu. 11. art. 2. in corp. —— de quibusdam erroribus non nocentibus; lege *August*. c. 21. Enchirid. ad *Laurent*.

4. Quartò, sicut pro objecto sibi coram obversantur res Fidei e Christianæ; ita etiam præcipue ipsa Fidei Essentialia, κοινωνικά, necessario, & explicite credenda, & quæ fundamentalia constituunt, Hæretici attingunt; ideoque tales verè quidem dici possunt, ὀ κρατοῦντες τὴν κεφαλὴν *Col*. 2. 19. Non tenentes caput, sine quo tamen non est salus ulla possibilis Homini Christiano: Sunt quædam (inquit Gerson) de Fi-

e Vide Episc. *Userium*. ser. in Ephes. 4. 13. p. 20. 21. &, Episc. *Hallum* sect. 5. *Christ*. moderat. &, D. *Field*. l. 3. c. 3 4. de Eccles.

dei Devotione, de quibus ἐπέχειν vel aliter sentire liceat; puta, si credas perpetuam *Mariæ* Virginis atque illibatam virginitatem, etiam post partum *Christum*, sicut *Hieronymus* contra *Helvidianos* asseruit; hoc equidem inter piè credibilia ritè ponatur; at si non credas, fortè non Hæreticus vocabere: sunt etiam alia de fidei necessitate, de illis dubitare Nefas; quæ sanè quicunque non crediderit, ipsum fundamentum subvertit: quam quidem subversionem, quisquis sive directè, sive (ut loquuntur) ex consequenti, effecerit, talis Hæreseos nota inuratur: Circa vtraque tam directa, & principalia, quam indirecta, & secundaria, ex quibus [sequitur] corruptio alicujus articuli fidei, (asserente *Aquinate*) Hæresis esse potest.

5. Licèt Hæresis includat errorem judicij in rebus fidei essentialibus; subinnuunt tamen Romano-Catholici, hæc omnia non constituere Hæresin, nisi superaddatur determinatio Ecclesiæ; sive decretum, si non Oecumenici, at alicujus alius Concilij, saltem particularis, *Romæ* præsertim habiti; vbi è scrinio Pectoris Pontificij singula rata, & stabilita sint; Atque sub hoc prætextu nasos multorum ex ijs (monstris licet, ant Necromanticis) qui ad culmen Papatus scanderant, ab impuro Hæreseos pure vellent emungere. Quo tamen quid dici potuit magis ἄτοπον, vel absurdi plenum? Dicant, enim, numnon erat Arrij blasphemi, ὁμοουσίαν Filij cum Patre in Sacrâ Triade pernegantis, Hæresis, antequam pro tali in Concilio *Nicano* determinabatur? Annon etiam fornicatio erat peccatum, priusquam pro tali in Concilio

cilio *Hierosolymitano*, *Actor*. 15. decernebatur ? Apagesis ! Hoc igitur cuneo solvatur hic nodus, si modò nodus dicatur, *viz*. Determinatio veræ, & rectæ Ecclesiæ multum addit peccato Hæretici ; Nihil autem ab ea variatur in naturâ ipsius Hæreseos.

6. Sextò itaque, & ultimò, succedit [f] *Pertinacia* ; quæ est ipsa veluti differentia specifica, Hæreseos formativa : Huc referamus tritum illud ab *Augustino* vsurpatum ; Errare possum, Hæreticus esse nolo; semper enim ad naturam Hæreseos requiritur, non tantum erroneum judicium, sed etiam obstinata voluntas ; sic schola vbique proprijssimè Hæresin constituit *Pertinacia*, in defendendo falsitatem, vel impugnando veritatem, ita [g] *Halensis* ; quem quidem vniversa Scholasticorum cohors turmatim insequitur : Est autem [h] *Pertinax* qui non est paratus corrigi, & qui non quærit cauta solicitudine veritatem, sed impugnat, & ad impugnandum omnes inducit, quantum in ipso est : Non qui tentatur de Fide cum dolore cordis ; sed qui [determinate] in dubietate persistit, dicendus Hæreticus, ait Scoti studiosus, [i] *Nicolaus de Orbellis* : Denique, vt finiam, sunt qui, appendicis loco, adhuc superaddunt, quod is etiam eâdem maculâ aspergatur ; non solum qui [gignit,] sed & qui [sequitur] falsas; & novas opiniones, ita [k] *Augustinus* ; quem sic interpretatur *Halensis*, qui [perverse] gignit, & [pertinaciter] [l] sequitur : postremò vt ne sit Angulus vel vnicus, etiam in maximè intimis penetralibus vbi se abscondi posse putet Hæreticus ; quin aut sicùt sorex voce prodatur, aut

[f] Vid. *D. Field*. l. 3. de Eccles. c. 3. 4. it Ep. *Morton. Grand.* impost. c. 15. sect. 28.

[g] *Hales*, mem. 1. p. 738. 739 vbi supra.

[h] *Ioh. Altenstaig*, p. 378. in lexic. theolog.

[i] *Nicol. de Orbellis*, qu. 6. dist. 13. in 4. sen.

[k] *Augustinus*, lib. de vtilit. credendi.

[l] Hæreticus est, qui divinæ legis contemptu pertinax inventor proprij erroris, aut [alieni sectator] Catholicæ veritati mavult adversari, quam subjici. *Bonaventura*, dist. 13. lib. 4. circ. ex.

ſicut reus corde convincatur ; etiam inſuper curioſius eum perveſtigando inſectatur *Alphonſus à Caſtro* ; vbi aſſerit, etiam illum hominem poſſe non immeritò talem denominari, ſive qui enunciationem falſam [palam] dogmatizet, ſive illam ſecum [*Tacitus*] affirmet.

Recollectis itaque ſingulis hiſce ita nunc explicatis, & veluti lineis a larga circumferentia ad ſuum punctum redactis ; ex eiſdem ſimul ſumptis, hoc monſtrum Hæreſëos, quaſi in vivis, varijſque ſuis coloribus, hoc modo depingatur ; prout etiam ſuprà priùs accepiſtis, nempè, Hæreſis eſt error pertinax Hominis Chriſtiani, Fidei Catholicæ, ex partte, contrarius : quod quidem ſatis eſſe poſſit ad indicandam peſtiferam Hæreſëos naturam, licèt nimis parum, imò verò minimum ad evitandam pravam iſtius praxin.

Atque ita prima textûs noſtri parte tractata, quæ nos ad naturam Hæreſium inquirendam, quaſi manu duxit.

Proximè jam ſuccedit pars ſecunda ; quæ de neceſſitate Hæreſium materiam diſcutiendam ſuppeditat ; nempè, quomodo, & qua ratione, [oportet] vt ſint in Eccleſiâ Dei, ità enim legimus in textu, [δεῖ] γὰρ καὶ αἱρέσεις εἶναι, [oportet] enim & Hæreſes eſſe.

pars 2.

Vt hæc clariùs innoteſcat, ſciendum eſt, duplicem eſſe neceſſitatem ; vnam abſolutam, quæ vulgo dicitur neceſſitas conſequentis, hoc ſenſu, illud dicitur neceſſarium, quod impoſſibile eſt aliter ſe habere, exponente m *Halenſi* ; veluti, neceſſe eſt Deum eſſe, hominem

m *Hales*, par. 2. quæſt. 159. mem. 9. p. 742.

minem esse animal rationale, nam hæc aliter se habere non possunt : Alia est necessitas consequentiæ, quâ necessariò evenire dicimus, (explicante, inter alios, [n] *Alberto Novicampiano*) non quæ sua natura necessaria sunt, sed quæ necessario sequuntur, propter præcedentes causas : Verbi gratia, si oriatur sol, necesse est esse diem; sic legimus apud *Lucam cap.* 24. *vers.* 46. quod [oportebat] *Christum* pati, non necessitate absoluta, sed hypotheticâ, quia lapsus erat homo, sicque Deus decrevisset, vt per mortem filij sui liberaretur a peccato,& damnatione æternâ : Ad eum modum Deus prævidit quosdam [o] Angelos, & primos homines peccaturos, sua arbitrij libertate, quam talem illis dederat, vt si vellent, desererent Deum, & continuò esset miseria secutura; non tamen illos præscientia sua ad peccandum coëgit : verissime Fulgentius, Deus non, est author eorum,quorum est ultor; & similiter *Augustinus*, fieri non potest, vt per quem a talibus surgitur, per eum in talia decidatur : [p] Præscientia in Deo non facit Deum peccatorum causam : Non ideò peccat homo, quià Deus eum peccaturum præscivit, ait *Hieronymus*; sicut nec Astronomus est causa Eclypseos quam prædicit, aut Medicus illius morbi, in quem hominem casurum, ex symptomatibus quibusdam, prævidet; aut prophetæ causæ sunt calamitatum, quas obstinatorum peccatorum impænitentiam sequuturas prænunciant : imò verò destructio nostra a nobisipsis, *Hos.* 13. 9. apud Deum autem non habitabit iniquitas, *Psal.* 5. 4. *Hab.* 1. 13.

[n] *Albertus Novicamp.* in Scopo Biblico, annot. de iustific. p. 377.

[o] Quæst. de Angelis, & protoplasto, vid. apud *August.* lib. 22. c. 1. de Ciuit. Dei.

[p] Episc. *Davenant.* qu. 25. edit. *Cantabrig.* 1634.

Quæst. Si quis autem curiosiùs inquirat, cur Deus sciens homines desertores sui futuros, eis hanc potestatem non ademit ? Resp. Responsum possum dare, ex verbis *Salomonis, Ecclesiastis*, 7. *vers*. 10. Non ex sapientiâ rogares super hoc ; sed ratio est, (vt docet [q] *Augustinus*) quia potentius, & melius judicavit Deus, etiam de malis benè facere, quam mala esse non sinere : Non enim sineret bonus (aurea est ejusdem Patris sententia) fieri malè, nisi omnipotens etiam de malis facere posset benè : Hisce ità præmissis, si qualis ea sit necessitas, vndè oriantur Hæreses, inquiratur ? Statuendum est, eam non esse absolutam, sed conditionatam, sive hypotheticam.

[q] *S. August.* Enchirid. ad *Laurent*. c. 11 & 100.

Quænam autem sint illa, ex quibus præsuppositis, Hæreses necessario eveniant, denuo videndum nobis est.

* * *

Hîc autem, obiter, noscat (velim) amicus lector, hæc omnia, quæ deinceps sequuntur vsque ad conclusionem, ob præterlapsam clepsydram, inter concionandum decurtata, & abscissa : Eadem tamen, proximo a comitiis publicis (solenniter, ac laudabiliter celebratis) die, in scholis publicis, (paucis quibusdam prælibatis) loco determinationis Theologicæ, in summâ literatorum, tum *Cantabrigiensium*, tum *Oxoniensium*, frequentiâ, recitata fuisse.

Præsupponenda quædam, ex quibus necessario eveniunt Hæreses.

Vnde autem exordiar ? aut ubi finem dicendi faciam ? cum totidem, ex instinctu Diaboli, Hæresium occasiones vndiquaquè Ecclesiam Dei invaserunt, vt nihil supra : Principium vero inpræsentiarum

rum ego ſumam ab ea, quam nobis, vt omnis peccati initium, propoſuit [r] *Bernardus*; nempe, a ſuperbiâ: (præſertim quatenus intus, & in hominum ſpiritu hæret) ex qua ſola *Salomone* teſte, venit [s] contentio: ſuperbia, inquã quæ tam velociter ipſum quoque ſyderibus cunctis clarius micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: Equidē Humilitas (ſicut ait [t] *Proſper*) homines Sanctis Angelis ſimiles reddit; ſuperbia vero ex Angelis Caco-Dæmonas facit: vnde fit, vt Diabolus non ſtans in veritate, ſed [v] relinquens ſuum domicilium, protinus invidens homini, eandem quam conceperat in ſemetipſo, in eo peperit iniquitatem; Hinc dictus eſt, *Joh.* 8. 44. homicida, ἀνϑρωποκτόνος, ab initio, (ſcilicet, non [w] creationis, ſed defectionis ſuæ:) namque in eandem etiam Templi pinnam (vt verbis *Conradi* [x] *Dieterici*, Theologi *Lutherani*, me nunc exprimam) ſingulos Hæreticos conſtitutos inveniatis; qui inſano vanæ gloriolæ; faſtuſque typho elati, ac cupiditatis oeſtro perciti, non domino, ſed [y] abdomini ſervientes, majora viribus ſuis audent; &, turpis [z] lucri cauſa, præter famam, commodum, & dignitatis inanes nihil non appetunt: Ita planè de *Arrio* (iſto Eccleſiæ purioris titione) narrat [a] *Epiphanius*, quod fuit εἰκόνη, καὶ ἀνδριὰς τοῦ Διαβόλου, imago, & ſtatua Diaboli, ſtatura valde procerus ſubtriſti ſpecie, figuratus velut doloſus ſerpens, qui [b] πιϑανολογία (quâ non indiguit) decipere poſſet, ex ſeipſo ignem accendit non vulgarem, qui omnem Romaniam, & maxime Orientis partes occupavit; adeo vt, referente *Hieronymo*, totus pene mundus ingemiſceret videre ſe, derepente fac[tu]m [e]ſſe

1.
[r] *Bernard.* ſerm. 1. de advent. om. fol. 1.
[s] Pro. 13. 10.
[t] *Proſper*, de vita contemplat. l. 3. c. 3.
[v] Iud. verſ. 6.
[w] *Mr Ioſias Schut.* (ſui temporis apud *Londinates Chryſoſtomus*) ſer. 16. in Gen. 16. p. 176.
[x] *Conrad.* Dieteric. dn. invocavit. p. 547. vol 4.
[y] *Rom.* 16. 18.
[z] *Tit.* 1. 7. & 2 *Pet.* 2. 3.
[a] *Epiphan.* Hær. 65. 66. l. 2.
[b] *Rom.* 16. 18. χρηστολογία καὶ εὐλογία: &, 2. Pet. 2. 3. πλαστοὶ λόγοι.

eſſe *Arrianum* : ſic etiam Aërius furioſus mente, [elatus] opinione, audit, apud eundem c *Epiphanium* : quemadmodum & ſub ipſis Apoſtolis, cùm adhuc in vivis eſſent, non defuit faſtuoſus d Diotrephes, in Eccleſiâ φιλοπρωτεύων : imò verò, in ipſiſſimâ primævæ Eccleſiæ velut aurorâ, ſurrexit quidam, nomine Theudas, *Actor*. 5. *verſ*. 36. λέγων εἶναι * [τινα] ἑαυτὸν, dicens ſe eſſe [aliquem,] ſcilicet, voluit, ex notâ e ſingularitatis, notari, & dicier, hic eſt : Huic non ita multò poſt ſucceſſit vir quidam nomine Simon, μαγεύων, artem exercens magicam, *Actor*. 8. 9. gloriatus ſe eſſe quempiam [magnum] μέγαν : in eâdem etiam claſſe reponantur ij, quos *S. Petrus*, 2. *Pet*. 2. 10. αὐθάδεις nominat, id eſt, *Eraſmo* transferente, præfractos, ac audaciâ prætumidos ; qui, ſcilicèt, propriam, atque a ſemetipſis excogitatam cantilenam, ad tonum ſingularem formatam, accinere didicerunt : Atque vtinam profectò, cum lyriſtâ illo Aſpendiano, ſibimetipſis ſolis, ſuiſque ipſorum clauſtris in perpetuum cantionem iſtam cantâſſent ; modò ſuaviſſimam interim *Chriſti* columbam, pacatam Dei Eccleſiam, rauco iſtiuſmodi errorum ſonitu, nunquam perturbâſſent ; ambitioſi veluti Nimrodi, qui diruunt *Sionem*, vt ædificent Babelem.

2. Secunda Hæreſëos cauſa apparet eſſe affectatio (& planè inſana) novitatis : Eſt natura hominum, (imò μονονουχὶ jurarem) Hæreticorum, novitatis avida : Hæreſes enim ad originem revocare, eſt refellere, ait *Hieronymus* : *Martinus Lutherus Megalander* (ſicut eum ſequaces ejus indigitant) ductus proculdubio ſuperiori providentiâ, ſed ex diſcurſu rationis diſpiciens,

c *Epiphan*. l. 3. Hær. 71.
d 3. Epiſt. *Ioh*. 9.
* Confer. *Gal*. 2. 6. οἱ δοκοῦντες εἶναι.
e Contra vitium ſingularitatis, lege Epiſc. *Hallum* decad. 6. Epiſt. 7.

ciens qualem,& quantam adverſus Epiſcopum Romanum, ac degeneres Eccleſiæ traditiones Provinciam nactus erat: quinetiam ſuæ ipſius ſolitudinis ſibi conſcius,nec omnino ſui temporis opinionibus ſuffultus, omnem [Antiquitatem] expergefacere, ac tempora quidem elapſa, & præcedanea, in ſuum, atque in ſuæ partis præſidium advocare cogebatur; vt erroribus tunc invaleſcentibus occurreret: adeò vt vetuſtiſſimi authores,qui jamdiu,præ oſcitantiâ illius ævi in Bibliothecis ſitu obſiti (quaſi ſub Epimenidis ſomno)delituerant,iterum revolverentur: liuguarum etiam peritia, quæ prorſus inter aridas, & jejunas Scholaſticorum Philoſophantium(ſed prævalentium)quæſtiunculas neglecta jacuerat,iterum lacertos moveret,& quaſi redditâ juventute revireſceret: Itaque, non novam ille inſtituit Eccleſiam, ſed tantùm veterem reſtituit, ac ab erroribus, & corruptelis repurgare conatus eſt: Non erat ſub *Luthero* Nova Eccleſia, ſed tantum mutatio quædam [ſtatus] Eccleſiæ: Eccleſia enim ipſa, ante *Lutherum* natum, quoad ſubſtantiam,& doctrinam ſanam, in ſcripturis fundata fuit:imò vero,quorundam etiam Papiſtarum confeſſione,[f] *Lutherus* doctrinam ſuã recepit ab *Huſſitis*, *Huſſitæ* â *Wicliffitis*,illi â *Waldenſibus*, *Waldenſes* ab Apoſtolis,Apoſtoli ab ipſo *Chriſto*; ſunt quidam fateor (*Papicolas* intelligo) qui antiquitatem crepant, ſed voce ſuâ, quaſi ſorices, ſtatim produntur; Cùm tamen ea, profectò, non alia eſt, quam quæ fuit *Gibeonitarum*, *Joſh.9.verſ.*5. imponentium *Jehoſchuæ*; ſumentes enim ſaccos tritos impoſuerunt aſinis ſuis, & vtres vini tritos, ruptoſque, & colligatos, & cal-

[f] Vid.D.Prideaux. ſerm. cui titulus, Perez-Vzzah. p. 12. 13. 14. & , ſer. Idol Feſt.p.14.15.

ciamenta trita, & resarta pedibus suis, ac vestimenta trita sibi induta; omnisque panis eorum aruërat, & abierat in micas, hoc est, Doctrina eorum Anti-Christiana, & recens, ex humanarum adinventionum fragmentis coagmentata, & consuta, prorsus arida, jejuna, subdola, atque fallaciæ plena existit; Doctor *Gentium S. Paulus*, apud *Athenienses* Philosophos (lampadas suas quidem scientiarum omnium, sub eâ ætate, orbi terrarum præferentes) cum de resurrectione disputâsset, illico, quasi novorum Deorum annunciator audit; & pro σπερμολόγῳ quodam illum reputantes, penitus habent contemptui, ob meram (quantum quidem illi persenserunt) novitatem, *Act.* 17. *vers.* 19. 20. [g] *Justinus Martyr Græcis*, quos cohortatus est, objecit; quod non habebant μάθημα χρόνῳ πολιόν, Doctrinam ullam sanam præ continuatione, aut canitie venerandam: conquestus est etiam *Gregorius Nazianzenus*, in suo ævo, Theologiæ genus quoddam περιττὸν, καὶ κατεγλωττισμένον, καὶ ἔντεχνον, in Dei Ecclesiam irrepsisse: imò verò, statim ab Apostolis, [i] cæptum est in vitâ, simul & in Doctrina declinari: perpaucos filios Patribus fuisse similes questus est [k] *Clemens Alexandrinus*; nã juxta adagiũ Hebræorum, etiam acetum potest esse filius vini purissimi: quarè mos iste semper in Ecclesiâ viguit, vt quò quisque foret religiosior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet; vti doctè quidem, & prudenter observavit [l] *Vincentius Lirinensis*: Vt autem huic malo medelam præbeamus, illud semper auribus nostris intonet, animis etiam infixum hæreat, quod Propheta *Jeremias, cap.* 6. 16. monet, state, inquit, super

[g] *Iustin.* Martyr. cohortat. ad Græcos, p. 10. n. 30.

[i] Vid. *Whitak.* contr. *Duræum*, p. 478. 479. & *Hooker.* sect. 4. in prefat.

[k] *Clemens Alexandr.* l. 1. στρωμ.

[l] *Vincent. Lirin* c. 9. in cõmonitor. advers. Hæres.

ſuper vias antiquas, & interrogate: via antiqua, via tuta: nempè, Ἰσχυρότατον τὸ πρεσβύτατον, &, quod primum, verum; falſum, quod poſterius: Et certè, quod pura m antiquitas, incorrupta vniverſitas, atque indubitata conſenſio (utrique addita) approbavit; in hoc velis (quod aiunt) paſſis velificemur, illud ambabus vlnis amplexemur: Hoc pacto, eam ipſam doctrinam Evangelicam, quam Fidei noſtræ Ἀρχηγοὶ, & anteſignani, a patribus, & primis quatuor Conciliis (inter primos quadringintos annos, & paulò ultrà) Patres ab Apoſtolis, Apoſtoli a *Chriſto* acceperunt, nobiſque credendam tradiderunt, non prodamus, ſed ſartam, tectam teneamus, & tueamur: ſic ſervemus depoſitum, idem ipſum, quod P*aulus* *Timotheo* mandavit, 1. *Tim.* 6. 20. ſerva (inquit) depoſitum, id eſt, interprete eodem n *Lirinenſi*, non inſtitutor, ſed ſectator, non author, ſed cuſtos, non ducens, ſed ſequens, non quod ipſe excogitâſti, ſed quod a Domino accepiſti: Periculoſa ſanè eſt innovatio in Doctrinâ Fidei; Fides enim ab ipſo initio nunquàm, quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad explicationem, fuit capax vllius additionis novæ: quarè, eadem quæ didicimus, ità doceamus; vt cum dicamus novè, (exponendo,) non dicamus nova, (articulos cudendo:) hoc relinquamus Hæreticis, quod ſint capaces, avidique novitatum.

m Vid. *Vincent.* ubi ſupra, c. 32. 33. 34. &c.

n *Lirinenſ.* c. 27. & 34.

3\. Tertiò, Feneſtram certè, ſi non & januam Hæreſibus aperit novarum phraſium inventio, atque inuſitata loquendi forma in rebus Theologicis, & doctrina Fidei: ſolœciſmus in verbis nonnunquam tranſit in ſolœciſmos in doctrinâ; Barbariſmus ſæpenumero

mero abit in Hæresin, ac (vti scitè annotavit Doctissimus o *Molinæus*) incongruitas in dictis, è pravâ quâdam metamorphôsi, aliquoties fit incongruitas in ipsâ fide: viam manifestè pandit huic pesti, cum loquuntur homines perversi de profundis domini mysteriis in terminis aliis [ἑτέροις, sive ἑτέρως,] quàm in iis ipsis, quos Orthodoxa Ecclesia Dei Vniformiter stabilivit, & in omnibus ætatibus successive approbavit; prout ejusmodi forma continetur in omnibus Orthodoxis Fidei symbolis, præcipue vero in primis quatuor Conciliis generalibus declaratur, & explicatur: qui verba facient de Cananæâ, vtendum est iis vernaculâ Cananæorum linguâ, non Ashdod Exoticâ: sat probe nôstis, in filios Aaronis sacerdotis, propter allatum ad altare Domini ignem extraneum, quam severe animadversum est: è differentiâ vnius, imò & minoris quam vel vnius literulæ, inter Sibboleth, & Shibboleth decē tribus Israëlitici amicos suos ab hostibus discernebant, etiãque ex solâ p pronunciatione; simili quodam discrimine solius literæ, nempè, inter ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον, inimici consubstantialitatis *Christi* cum Patre, in Oriente, ab Orthodoxâ Ecclesiâ eandem solide alibi asserente, dignoscebantur: qui credente mundo non credit, (*Augustino Teste*,) magnum est ipse prodigium: ô quam tutæ q fuissent res Christianæ, quam pacatæ! si ista curiosorum hominum problemata, argutæque minutiæ nunquam extitissent; si generalibus quibusdam exprimendæ veritatis formulis contenta doctorum ingenia, sacram Theologiam non ità nimium subtiliter cribrâssent; ilicèt! qui cudunt phrases, *Christo*, Apostolis, purioribus

o *Molinæus*, defens. Regis *Jacobi* contr. Coæft. p. 76. 77. Anglic.

Vide Regem *Jacobum*, in declarat. advers. Vorsti. p. 367. 368. inter opera ejus, in folio.

p *Jud.* 12. 6.

q Sententia *Josephi Halli* Episcopi Norwicensis, (Theologorum ævi sui devotissimi) Duræi ergò, conscripta, p. 156. 157. vol. 16.

rioribus Conciliis, vniverso Theologorum sanè judicantium, apteque loquentium, (per omnem Ecclesiæ succedaneæ seriem,) choro, novas & prorsus inauditas; quo speciosiùs scilicet, sub istâ verborum recentium larvâ, atque πλαστοῖς λόγοις (ita loquitur [r] *S. Petrus*) simplicioribus imponant; tales (aio) si non penicillo, at nigro quodam carbone pro Hæreticis, saltem pro istiusmodi affinibus, palam notentur: exemplo forsan res hæc clarior fiat; sic habete; Hac ipsâ eadem occasione (quemadmodum [s] *Fieldus* noster, è Socrate Ecclesiastico observavit) in pravam olim delapsus est Hæresin Nestorius; qui propterea quod Virginem *Mariam*, θεοτόκον, Matrem Dei, sive Deiparam vocari nollet: sed formam illam loquendi, quam vsus Ecclesiæ antiquitùs susceperat, ac approbârat, temere reprehenderet; elegit potius Personæ *Christi* Vnitatem in θεανθρωπίᾳ sua, *Pertinaciter* abnegare, quam ita cum Ecclesiâ antiqua sanè loqui: verissime *S. Paulus*, 1. *Tim.* 6. 3. 4. 5. si quis ἑτεροδιδασκαλεῖ, si quis aliter docet, & non consentit sanis sermonibus, ὑγιαίνουσι λόγοις, id est, verbis, non quæ pruritu quodam inani aures titillant, sed quæ sanitatem menti & salutem conscientiæ ferant, τετύφωται, is inflatus est; imò verò νοσῶν, hoc est, præ defectu judicij sanioris planè morbidus, atque animi deliquium passus: quare *Timotheum* serio hortatus est idem Apostolus, 2. *Tim.* 1. 13. ut formam haberet sanorum sermonum: similiter, & *Titum*, apud *Cretam*, admonet, ut, si in doctrinâ servaret incorruptam integritatem, tutissimam ad eandem viam ingrederetur, nempè per sanum [sermonem,] qui non

[r] 2. *Pet.* 2. 3.

[s] *D. Field.* l. 3. c. 3. de Eccles. ex Socrate, lib. 7. c. 37. confer. *Joh. Altenstaig*, p. 138. in verbo, Christi-tocos, lexic. Theolog.

possit condemnari, *Tit.* 2. *vers.* 8. Jamdudum abiit in Proverbium, Colloquia prava corrumpunt bonos [* mores ;] nec minori cedit periculo Christianæ, integræque [doctrinæ,] si novæ a Novatoribus istis in fide, vel loquendi, imo vel scribendi formæ permittantur.

* 1. *Cor.* 15. 33.

4. Quartò, Character Hæreticorum est, ut sub hominum quorundam [præsertim famâ præcellentium] nominibus sese venditent: Ità ut sicùt os eorum (Sancto *Judâ* attestante, *vers.* 16.) loquitur ὑπέρογκα, id est, prætumida, elata, ac veluti sesquipedalia vomit, sic & θαυμάζοντες πρόσωπα, sunt admirantes personas: Hinc, opinor, orta est ista nomenclaturæ quædam quasi farrago; quæ quidem non alia vestris auribus insonet, quam quædam quasi sartago: uti olim ***Pharisæi***, ***Sadducæi***, ***Herodiani***, ***Ebionitæ***, ***Cerinthiani***, ***Nicolaitæ***, ***Ariani***, ***Samosateniani***, P***hotiniani***, ***Manichæi***, ***Gnostici***, P*elagiani*, *&c.* Dies deficeret, penitusque flaccesceret vestra patientia, (quam tamen minime gravatam vellem) si omnes, quos ***Irenæus***, ***Epiphanius***, ***Augustinus***, ***Vincentius Lirinensis***, P***hilastrius***, ***Alphonsus â Castro***, ***Magdeburgenses***, * ***Cameracensis***, reliquique, qui nominibus, eorumque Hæresibus colligendis operam non infæliciter navârunt, recenserem: sed superiorum ætatum syrtes per spem bonam præternavigantes; percipite (si placet) quo pacto, sub novis vocabulis, antiqui, vetusti, rubiginosi errores, veluti ranunculæ viles ex ipsis orci paludibus obrepunt, atque impuro ipsorum coaxatu, stomachum, (mihi credite) imo & vomitum, sanctis, puris, & sinceris animabus provocant: Namque, Diabo-

*Cameracens. lib. de laudib. Theologiæ.

Diabolus, cùm ſibi jamdudum quaſſatum, nunc autem * decurtatum regnum ſuum ſentiat, omnibus in univerſum inferni,ſtygijque lacûs furiis ſtipatus,quaſi furibundus in Eccleſiam Dei involat : obſoleto jam facto, & antiquato *Arianorum* nomine, eandem tamen Hæreſin recudentes, ſub alio vocabulo, vocantur *Sociniani* : Pelagius jamdiù abiit ipſe, cum ſuis Aſſeclis, ad locum ſuum ; peſtiferi autem errores Pelagij, poſt tot annorum Centurias, quaſi poſtliminio revocati, ſub *Arminianorum* nomine, criſtas tollunt : Gnoſtici, Epicuri iſti de Grege porci, præ quibus obſcæni Sybaritæ pro caſtiſſimis inter virgines putarentur , ipſi jamdudùm in profundo ἀμνηστίας barathro ſepulti ſunt ; Aſt vero (quod vix, aut ne vix quidem abſque genis pudore ſummo ſuffuſis coram vobis repetam (ſub impuris iſtis (quos Libertinos, ſive [vah !] Rantiſtas, * Pantiſtas, ſive ſpurcos Ranteras denominant) helluonibus, ex omnium libidinum colluvie, ſcelerumque importunitate concretis, nobis denuò recrudeſcunt : ſed nolo ulterius hanc Camerinam movere, neque hoc ſterquilinium ruſpari, ne ſim vobis offendiculo : quid memorem, inter Papicolas, ordines, ſectaſque infinities excreſcentes, gliſcenteſque ? Cardinales, Franſciſcanos, Dominicanos, Carthuſianos ; nuper vero Monachos (quos vocāt) foliantes,minimos,nullatenſes,cæteroſque, quos quidem neque ipſe ſum numerando,neque vos eſtis audiendo : quinetiam ut amplius adhuc vafri, & tortuoſi ſerpentis antiqui verſutias (eſt enim πάσης τῆς κακίας εὑρετὴς , ſicùt ait *Gregorius Nyſſenus*) detegam : quò magis imperceptí Hæretici (iſtius ſerpentis

* *Apoc.*12.12

* Vide hos Rātiſtas graphicè delineatos, ſimul & refutatos à D. *Roberto Gello*, Theologo Londinenſi linguarum peritiſſimo, atque omnifariam docto; in ſer. cui titulus, Ἀγγελοκρατία Θεοῦ. *Aug* 8.1650. p.39.40.41.42.

pentis spuma) zizania sua inter pura domini nostri semina spargant; non sub uno, & eodem semper nomine, sed sub variis quibusdam appellationibus, & sæpè de industriâ mutatis, sese hominibus minùs cautis insinuent; id vero faciunt, ne scilicèt, execrabili istorum nomine, primùm suscepto, nimis noti, ab Ecclesiâ exploderentur: hinc est, quod Ebionem Hæreticum toties a me citatus *Epiphanius* vocat [πολύμορφον] τιράςιον, haud inepte isti apud mutholo-gos multorum capitum Hydræ assimilandum: mos enim Hæreticorum propè omnium est, ut sibi ipsis [sive in opinionibus, sive in nominibus] non diù constent, sed planè ἐπαμφοτερίζοντες, quovis doctrinæ vento abrepti, & quasi * κλυδωνιζόμενοι, varij, & * instabiles existunt: Historia Ecceboli puri puti Protei (sed tandem fortè pænitentis) in religione, notior est quam ut coram vobis tam doctis copiosiùs narretur: At vero Deus noster, qui est author veritatis (quæ unica tantum est) non * revocat, non irritum facit quod dixit, non mutatur, *Mal.* 3. 6. neque apud ipsum est vel τροπῆς ἀποσκίασμα, *Jac.* 1. 17. Hæreticus autem παλιναδὸς est, varius, vafer, & inconstans; est velut Jupiter, apud Lucianum [in Sacrificiis] ποικιλότροπος; est instar Martis, apud Homerum, ἀλλοπρόσαλλος; est, Vertumnus, apud Horatium; Empusa, apud Aristophanem; quibus omnibus nihil vanius, nihil mutabilius, nihil inconstantius esse videatur; denique, talis non absimilis est gladio illi flammanti in anteriore Edenis parte collocato, *Gen.* 3. 24. qui vibravit sese in [omnes] partes: Ità olim Gnostici, nonnunquam Barbeliotæ vocabantur, a Barbelo, id est, filio

* *Ephe.* 4. 14.
* 2. *Pet.* 3. 16.
* 2. *Reg.* 10. 10.

filio vetuſtatis, quem colebant ; alibi, Borboritæ, a cœno in Ægypto, ait *Epiphanius* : ſic hodiè proh dolor ! callidiores iſtiuſmodi Loyolæ diſcipuli non ſemper ſub ipſis *Jeſuitarum* nominibus nobis palàm innoteſcunt ; ſed indumento ovium palliati, clàm ſerpunt * in domus ; & hodiè pro fabris lignariis, cras autem fortaſſe pro ferrariis ; nunc, Agricolæ volunt putari ; tunc, mercatores audiunt ; & quid non ? modo proſelytas lucrentur, & unà ſecum inſtar * draconis iſtius Apocalyptici, tertiam ſtellarum cœli partem in perniciem abducant : ſed reprimo me, ne ultra debitas ripas, Jordanis inſtar, intumeſcat oratio mea : Miſſis igitur iſtis Non Eccleſiarum magis, quam Rerumpublicarum peſtibus : ad reformatiores, ſi placet, accedamus : ô quam optandum eſſet, ut è medio faceſſerent iſta *Lutheranorum*, *Zwinglianorum*, *Calvinianorum*, & ſimilium cognomenta, quæ factionis potiùs, (inquit clariſſimus t *Davenantius*) quàm fraternæ unionis inſignia ſunt, & antiquis patribus nunquam placuerunt : noluit v *Epiphanius*, ut Chriſtiani geſtarent ἐπίθετον ὄνομα, non Petrianos, non Paulinos nos oportet eſſe, ſed Chriſtianos, inquit w *NaZianZenus* ; ſic etiam *Hieronymus* contra Luciferianos, ſicubi audieris eos (ait) qui dicuntur Chriſtiani, non â Domino *Jeſu Chriſto*, ſed a quopiam alio nuncupari ; utpote Martionitas, &c. ſcito, non Eccleſiam *Chriſti*, ſed Anti-Chriſti Synagogam eſſe: ſimile quoque *Duræum* exprobrantem excepit fandi dulciſſimus x *Whitakerus* ; Noſter Præſes (inquit) non *Lutherus*, ſed *Chriſtus* eſt, nec *Lutheri* regulam, ſed *Chriſti* Doctrinam, vocemque ſequimur :

* 2. *Tim.* 3. 6.

* *Apoc.* 12. 4.

t *Episc. Davenant.* inter tres ſentent. â Duræo excuſ p. 116. 117. *vol.* 16.

v *Epiphan. Hær.* 12. 42. & 70.

w *Nazian.* orat. 36.

x *Whitakerus.* l. 1. ſect. 6. contr. *Duræum.*

omnium autem ſeveriſſimè y *Lactantius*, [cujus unius ſententia huic capiti finem imponet] Chriſtiani (ait) eſſe deſierunt, qui *Chriſti* nomine amiſſo, humana, & externa vocabula induerunt : neque tamen (quod ego obiter notari velim) idcirco Patrum antiquiorum, ſive Theologorum Neotericorum Orthodoxorum authoritatem penitus è rebus Fidei eliminandam judico; ſed, ſicùt profitetur z *Polanus*, Patres allego non tanquam principium probandi dogmata Eccleſiæ, vel tanquam judices; ſed ut [teſtes] duntaxat conſenſûs in Doctrinâ, & interpretatione ſcripturarum: * authoritas enim Eccleſiæ, non eſt juriſdictionis ſupra ſcripturas, ſed muneris, in interpretandis Scripturis. *Sed pergo.*

Quintò, Curioſitas fit occaſio Hæreſéos a ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ſapere ultra ſobrietatem, in ſcrutandis non revelatis, eſt deſipere in ſtoliditatem: Vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum, ait Philoſophia; Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloriâ, aſſerit Theologia : non inquirenda ſunt, quæ ſilentio ſunt tradita, ſed veneranda quæ ſcripta ſunt, dixit b *Theodoretus*; ſecundùm illud Apoſtoli, 1. *Cor*. 4. 6. τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν: Credimus, quia legimus; nam quæ libro Legis non continentur, ea nec nôſſe debemus, ſecundùm c *Hilarium* : quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda, quæ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda : ne in illis illicitè curioſi, in his damnabiliter inveniamur ingrati, inquit *S*. d *Ambroſius* · Affluere poſſumus, e effluere autem ſapientiâ non debemus : Euclides olim interroganti cuidam multa de Diis, percommode reſpondit; cætera

y. *Lactant.* lib. 4. c. 30.

z. *Polanus* præfat. in *Hoſ.*

*vid. D. *Edw. Reynold*: in Pſal. 110. it. *Davenant.* p. 162. expoſit. in *Coloſs.* & *Perkins.* in *Matth.* 7. ver. 10. fol. 225. 5

a Rom. 12. 3. vid. D. *Sclater*, patrem meum in 1. Theſ. p. 327.

b. *Theodoret.* quæſt. 45. in *Gen.*

c *Hilar.* apud *Hook.* p. 100. ſer. in *Jud.*

d *S Ambroſ.* De vocat. Gent. cap. 7.

e *Bernard.* fol. 96. m.

tera quidem neſcio, illud ſcio, quod oderint curioſos; aſpici vult Deus, non inſpici, dixit [f] *Lipſius*; credi, non cognoſci, nempe, quidditativè, & ultra revelata: ſecreta Dominum, tantummodo revelata nos ſpectant, inquit *Moſes*, *Deut*. 29. 29. quinimo, & *S. Paulus* frænum inijcit illis, qui in non videnda ſeſe intrudunt, *Coloſſ*. 2. 18. Nam, ſi meipſum neſcio, ait [g] *Cyprianus*, ſi animæ meæ ſubſtantiam —— ſi eorum, quæ intra me ſunt, rationem non intelligo; quâ audaciâ ſupra me erigam oculos, ut videam principium ſine principio, & finem ſine fine attingam: ut papiliones, & minuta quædam animalcula, Veſpere, lucernæ lumen circumvolitant, donec amburantur; ſic humana mens laſcivire ſolet circa arcanam illam flammam: Ità olim Antitrinitarij hâc ipſâ vertigine gyrati, ſicùt gentes, * ἐματαιώθησαν, ut fatui, evanuêre: quidam euntes poſt cogitationes ſuas, loquentes de Dei profundo, [h] merſi ſunt in profundum: idem certè in hâc re accidit quod vocibus, quæ ſupra modum intenſæ prorſùs amittuntur: aut quod aſpectui, qui ſolis meridiani radiis directè objectus, à ſplendore obruitur: compeſcat ſe ergò humana temeritas, & id quod non eſt, non quærat, ne id quod eſt non inveniat; ita monuit *Petrus Lombardus*, ſcribens de inveniendâ cauſâ voluntatis Divinæ: judicia Domini nonnunquam aperta, nonnunquam occulta, ſemper autem juſta ſunt; Nubes, & caligo circumſtant eum, inquit [i] Pſalmiſta, juſtitia & judicium locus ſolij ejus; id eſt, caligant oculi intellectûs humani in diſcernendis myſteriis divinis, namque judicia Domini ſunt imperſcrutabilia, *Rom*. 11. 33. juſtiſ-

[f] *Lipſ*. de conſtant. l. 1. c. 19. 21. &. l. 2. c. 13.

[g] *Cyprian* de Nativ. Chriſti, in Prologo. p. 484. 12. vide Deſtructor. vitior. part. 5. c. 21.

* Rom. 1. 21.

[h] *S. Auguſt*. de verb. Apoſtoli. ſer. 7. tom. 10. vide. *Gerard*. loc. com. tom. 1. p. 78. cap. de Elect &, Reprobat.

[i] Pſal, 29. 2.

justissima verò semper, de quibus minimè cõquerendũ nobis est: silentium potiùs talium rerum medela est, innuente [k] *Basilio*: Est quædam (inquit Schola) ignorantia puræ negationis; relata, scilicèt, ad arcana domini neutiquã retegenda, eaq; a tanto, simul & a toto excusat; namq; nescire velle, quæ magister maximus te scire non vult, erudita inscitia est: quâ quidem sententiâ (quæ fuit *Scaligeri*) hæc nunc tota periodus concludetur.

Sextò, Ratio Humana non regulata gratiâ divinâ, secundùm allegata & probata ex sacro Canone, monstrat viam Hæresibus: Annon crepant [l] *Socinianorum* asseclæ, & sectatores [sicùt in Catechismo isto *Cracoviensi*, in *Poloniâ*, & *Transylvaniâ* prævalente, nimis patet] quod ipsa supernaturalia ad rationis naturalis trutinam priùs appendantur, necesse sit; quam pro fide dignis penitus credantur: quasi turpe non esset, rationem, velut Hagarem ancillam, dominari; & gratiam, veluti Saram Dominam, ancillari: [m] Animalis Homo (quà animalis) non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, inquit Apostolus, 1. *Cor*. 2. 14. Stultitia sunt illi, & non [potest] cognoscere, quoniam spiritualiter dijudicantur: *Vanus est Aristotelicus Christianismus*; equidem, ratio humana in rebus divinis cæcutit, ut vespertilio ad Orientem solem: tolle argumenta, cum de fide agitur; pastoribus, ac piscatoribus creditur, non dialecticis: ideoque, fides divini verbi captivam ducat omnem cogitationem hominis in obedientiam *Christi*, 2. *Cor*. 10. 5. promptissima, ac purissima ad [o] ἀπείαν via est (ait *Gerardus* doctissimus) credere nolle, quod non possis ratione attin-

[k] *Basil*. concion. in *Martyr. Mamant*. vide Dieteric. Dn. Trinit. p. 341.

[l] Summam errorum, seu potius furorum Socinianorum lege collectam â *Gerardo*, loc: com. tom. 1. Sect. 151. p. 250. *Neo-Samosatenianos* eos appellat.

[m] Vid. explicat. ab Ep. *Davenant*. p. 135. &, 163. 180. 181. in *Colos*. et à *Perkinso*, in *Jud*. Ver. 19. it. *Hooker*. sect 6. 7. p. 99. 100. ser. 1. in *Jud*. & D. *Edw. Reynold*. concio. latin. in illa verba. 1650. edit.

[n] Vide *Bonaventur*: qu. 2. Prolog. & *Altenstaig*. p. 127. 128. ubi. supra.

[o] *Gerard* loc. com. tom. 1. c. 4. sect. 146.

attingere: Quid *Athenis*, & *Hierosolymis*? ait [p] *Tertullianus*, quid Academiæ, & Ecclesiæ? quid Hæreticis, & Christianis: Ecce (dixit quidam) *Disputandi pruritus fit Ecclesiarum scabies*: ubi [q] scriba? ubi disputator sæculi hujus? quærit inter Apostolos Doctissimus *S. Paulus*, 1. *Cor.* 1. 20. 21. Nonnè stultam fecit Deus sapientiam mundi hujus? *Deus vult curristas, non quaristas, dixit Lutherus*: Non ibi admittatur [ratiocinationis] objectio, ubi commendatur [Fidei] altitudo, ait [r] *Iulianus Pomerius*: Nemo (si modò sapiat) prunas ardentes (ita comparat *Chrysostomus*) in Igne digitis suis tangit, sed forcipe; sic nequè recondita Dei mysteria sunt vanæ rationis digitis, sed sanæ tantùm Fidei forcipe attingenda. Breviter, Ratio itaquè Humana Fidei subscribat in rebus supernaturalibus, etiamsi quæstioni illi â *Nicodemo* propositæ, *Ioh*: 3. 9. responderi non possit, scilicèt, [πῶς ;] δύναται) ταῦτα γενέσθαι; [quomodò,] Hæc possunt fieri; vah! quàm negotiosum est rationis Humanæ, [quomodò?] quod certissimum, sicùt Veteres inquiunt, [s] incredulitatis indicium est, & pestiferũ, mysteriorum Divinorum venenum, [t] ait Dietericus: quæritur ab Arianis, [quomodò] Filius sit æqualis Patri, cùm Pater, ipso fatente filio, sit eo major? quæritur, quomodò, *Christus* è virgine matre natus? sed dicat mihi *Judæus Apella*, quomodò arida floruit virga? & ego dicam quomodò concepit, peperitquè virgo: quomodò è sepulchro nondùm aperto egressus, quomodò ianuis clausis, ad Discipulos ingressus; sudat ingenium Humanum in hisce quæstionibus, â quomodistis istis curiosè propositis, ne-

p *Tertull.* de Præscript.

q Lege *Cornel. Agrippam.* cap. 101. De scientiarum. Magistris.

r *Julianus Pomerius.* lib. 2. contra. *Judæos*, in Fine.

s *Cyprian.* D. Simplicit. Prælat. tract. 3. p. 162.

t Dieter. an. Trinit. sect. 15. p. 341. vol. 4.

quaquàm verò ſolutis, aut humanæ rationis acumine in æternum ſolvendis.

Et tamèn, Nè, velùt de improviſo, in ſcopulum impegiſſe videar; nollem me ità jàm perorantem ſiniſtrorſùm intelligi; quaſi omnem rationis Humanæ uſum è rebus Theologicis prorſùs amoliendùm judicarem: abſit; Namquè, etiamſi Naturæ opus eſt gratiâ, ut rectà dirigatur, & tota Sanctificetur, Nihilominus, huic non eſt contrarium (eruditiſſimo aſſerente [t] *Hookero*) ſi dicamus etiàm gratiam uſum habere Naturæ; ſi enim Ratio penitùs deſtrueretur, cui (obſecro) ſuperſtruatur gratia? etenim gratia non deſtruit Naturam in Creatura rationali, ratione facultatum, quas *Deus* ipſe priùs creavit, & condidit; ſed Sanctificando dirigit rationem, ut rectis mediis, recto modo, ad rectum, debitumque Finem ordinetur: ſi Naturam audimus ubi ſermonibus *Dei* non repugnat, Nihil facimus Chriſtianâ Theologiâ indignum: Habet ſiquidem Natura *Deum* Authorem, ac vindicem; & idcircò ejus regulæ, & decreta non ex eâ, verùm ex ipſo *Deo* proficiſcuntur, ideoque convellenda, & refigenda non ſunt, quoad non oſtendatur verbum divinis literis proditum eis repugnare, proùt ſolide determinavit [u] *Petrus Martyr*, judicioſus (ſi quis alius) Theologus: Hoc ſenſu, illud Philoſophi cum grano ſalis accipi poteſt, quandò ait, παντὸν ἐστιν ἕπεσθαι τῷ θεῷ καὶ τῷ λόγῳ; ſed tamen quandò ad ſuperna aſpicimus, δεῖ μετ' τὸ ἄλλον ὀφθαλμὸν (ſcil gratiæ) ἐγείρειν, καὶ ἀναβαίνειν ἐκ τῆς σπηλαίου; ſcil: rationis Humanæ: Namque, in negotio ſalutis, *faceſſant Philoſophi cum ſapientiâ ſuâ, non ratio, ſed *revelatio ibi valeat; ſecundùm

[t] *Hooker*, l. 2. *Eccleſiaſt. Polit.* p. 72.

[u] *Pet. Martyr.* in Epiſt. p. 1145.

* Sententia fuit D. *Richard. Love*, profundiſs. ſimul & elegantiſſimi Profeſſoris D Margaret. *Cantabrig. Iun*: 25. 1651. in Scholis Theolog. dicta.

cundùm illud *Balthazaris* * *Mentzeri* diſtichon.

Non Ratio eſt Fidei baſis, aſt oratio Chriſti,
Fidere non diſcit, quiſquis vult Ipſe videre.

Ne ſit igitùr Ratio Humana regula Fidei Divinæ; Sed ſit Fides Divina omnimode * Regula rationis Humanæ: Vetuſtus quidam Scriptor, apud Iuſtinum Martyrem hanc finiet periodum, ubi ſcribit, δεῖ πρὸς τοὺς τῆς ἐκκλησίας τροφίμους μὴ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις [εὐθύνειν] τὰ θεῖα, ἀλλὰ πρὸς τὸ βούλημα τῆς διδασκαλίας τοῦ πνεύματος τὴν λόγων ποιεῖσθαι τὴν ἐξέτασιν: Filii, nutritiique Eccleſiæ omnia divina ad Voluntatem ſpiritûs ſancti, in Canone verbi Dei revelatam dirigere debent; non ad rationis Humanæ trutinam appendere: Nam, qui ſic ſolùm amotis ſcripturis, Doctrinam chriſtianam metiri volunt, metuendum eſt, nè in periculoſam Hæreſeos voraginem mergantur.

* Balthas. Mentzer. apud Dieteric. p. 68. in Feſt. Thomæ.

* Conſule Iſa. 8. 20. Gal. 6. 16. 2. Tim. 3. 15. 16.

7

Quæ ſuperſunt de hoc capite dicenda, Brevitate *Laconicâ* conabor abſolvere. Septimò, in *Lubricâ* Hæreticorum viâ ſtare ii meritò ſuſpicentur, qui relicto Dei verbo, obtendunt Spiritum, hoc eſt, proùt Orthodoxi interpretantur, Immediatum quendam inſtinctum, ſive motum *Enthuſiaſticum*, quo per modum quendam extaticum, duci imaginantur; ſeu potiùs ſeduci ſe reputare debent; de talibus videtur ſcribere [w] *Cyprianus*; ſunt miniſtri Satanæ (inquit) qui ſubornat eos velùt miniſtros juſtitiæ, aſſerentes Noctem pro Die, interitum pro ſalute, Deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu Fidei, *Antichriſtum* ſub vocabulo *Chriſti*, ut dùm veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur, &c,

[w] Cyprian. de ſimplicit Prælat. d. 163.

&c. imò,de iſtiuſmodi videtur eſſe loquutus *Michaas* Propheta, *cap.* 2. *verſ.* 11. Qui in [Spiritu] ſe ambulare prætendebant, & tamen mentiebantur egregiè : ità legimus de Montano Hæreſiarchâ (è cujus conſortio, velùt è quadam lue, *Tertullianus* ſe nimis infectum reddidit)quòd paracletum quendam novum, quaſi è Cœlo delapſum, præter Prophetiſſas ſuas (ſcorta fortaſſis aptiùs dicamus) Priſcam, & Maximillam, præ ſe ferebat : quinetiàm, eidem ſpiritûs inſtinctui ſuperinduci porrò [Viſiones] neſcio quas, atque * revelationes extraordinarias ſibi, ſuiſque ipſorum ſequacibus perſuadent : Sed adverſus iſtiuſmodi ſpirituum fallacium impetus,& prætextus,monitos ſuos voluit ˣ Theſſalonicenſes S.*Paulus*, 2 *Theſſ.* 2.2. Nè citò, inquit, quatiamini à mente, neque turbemini per ſpiritum, id eſt, per immediatum quendam ſpiritûs divini (deſpectâ ſcripturâ) inſtinctum obtentum : Ratio autem admonitionis illius facilè reddi poteſt ex eo, quòd idem Apoſtolus prædixit futurum, 1 *Tim.* 4. 1. ubi ait, quòd quidam à Fide, id eſt, Fidei doctrinâ Apoſtatantes, attendent ſpiritibus, ſed impoſtoribus ; nempe, ad aliam nullam, niſi ad ſulphuream ipſorum Dæmoniorum Doctrinam incautos perniciociſſime ſeducentibus : Aſt ſane ſpiritus Sanctus qui nos in omnem veritatem deducit,Canonem Scripturarum à ſeipſo ʸ inſpiratum, abolitum nollet ; ideoque, *Iſa.* 59. *vlt.* Verbum ſpiritui, ſpiritumque verbo, nexu indiſſolubili, conjunxit ; adeò ut, qui alterutrum ſeparando, ſive ſejungendo, deſumat abſque altero ; is neutrum omninò recte tenuiſſe præſumatur : Ad Legem igitur, & teſtimonium eundum

* Differentias inter veras, & Diabolicas Revelationes, vide apud *Perkinſum* Comment. in *Apoc.* c. 1. v. 1. & 9 it. D. *Sclater*, in 1 *Theſſ.* c. 5. v. 19. p. 531. 532.

x Vide D. *Sclater* Comment. ibid. p. 89.

y 2 *Tim.* 3. 16.

dum eſt, *Iſa.*8.20. qui aliter ducatur, non lumen Divinum, ſed Cometam tantùm, μετέωρον quoddam, ſive ignem quendam fatuum ſe ſequi æſtimet; atque in profundam Hæreseos foveam, niſi ſeriò ſibi cantum vellet, caſurum putet: Docet enim nos Deus (ſicuti bene monuit *Theodorus* [a] *Beza*) [ordinario] verbi ſui miniſterio, & unumquemque, pro vocationis ſuæ ratione, de ſuâ voluntate, ſic admonet, in eodem illo verbo ſuo, ut nullæ ſint hîc nobis peculiares, & extraordinariæ revelationes expectandæ; iis potiùs non ſatis ſanæ mentis Hominibus relinquendæ, qui etiam vigilando ſomniant. Feſtino.

[a] *Beza* Annot. ad *Rom.* 4 *ver.* 20.

Octavò, Si non prorſus, atquè in univerſum totum ſcripturarum Canonem abjiciunt: Tamen ſi retineant, tùm quidèm ad errores ſuos ſtabiliendos, ſæpiuſculè (proùt etiam anteà obſervavi) vel mutilatas eas ſophiſticè allegant, vel loca quædam obſcuriora, & dubiæ interpretationis, qualia ſunt Prophetica, ſive Apocalyptica, aut Allegorica adducunt; inter quæ ſic ab iis adducta, cùm ſint quamplurima δυσνόητα (qualia quidem nonnulla in Epiſtolis *Paulinis* memorantur à S. [b] *Petro*) difficilia Intellectu, eadem interpretantur malè, detorquent peſſimè; στρεβλοῦσι, metaphorâ (ſicuti quibuſdam placet; ab iis tranſlatâ, qui quùm in equuleum à tortoribus imponuntur, ad quæſtiones reſponſa dabunt, Non qualia veritas ſuppeditat, ſed qualia angores, & tormenta expoſcunt: Ità illi ſcripturas, ad ſuas ipſorum Conſcientias, pro privato ſuo libitu, & Concupiſcentiâ detorquent; Non autem, ſicut in timore Domini debuerunt, Conſcientias ſuas, ad placitum Dei, & genuinum ſcriptu- 8.

[b] 2 *Pet.* 3.16.

 rarum

rarum sensum, â spiritûs sancti dictamine subministratum submittunt: non pro sententiâ Divinarum scripturarum, sed pro suâ ità dimicantes, ut eam velint scripturarum esse, quæ sola sua ipsorum est: Alijs, (ijsquè apprimè [c] Doctis) perplacuit, ut Metaphora sub verbo [στρεβλοῦσι] contenta desumatur potiùs ab illis, qui Chymicam exercent artem; quâ è corporibus quibusdam Naturalibus tortis, & compressis, tales satagunt spiritus elicere; quales quidèm natura, sive naturans, sive naturata nequaquàm ijsdem indidit: At sanè qui sic, sive illotis, sive violentis manibus sacrosancta Dei eloquia tractant, parùm abest quinimo execrandarum Hæresium gurgite absorbeantur; Verissimè Faber, cùm dixit commentaria sua non lucem adduxisse Textui, sed Textum potiùs lucem Commentarijs suis; aliæ aliorum Expositiones dare possunt regulas, quibus dirigi possumus in intelligendis Authoribus; Scriptura verò dat regulas expositioni ipsi, atquè interpretatur ipsum interpretem.

[c] *M.r Hales* Etonensis, ser. habit: *Oxon.* in 2. *Pet.* 3. 16. p. 4. edit. 1617.

9. Postremò, (ut tandèm aliquandò Hæc nostra Præsupponenda veniant finienda) vitiati mores, in vitâ depravatâ, demonstrant Hæreticum: Tales sunt, qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes, *Jud.* ver. 19, neutiquàm mirabimur Hyminæum, & *Alexandrum* naufragium fecisse circa Fidem, cùm primùm Bonam conscientiam, id est, vitæ Sanctimoniam, repulerunt; 1. *Tim.* 1. 19. 20.

Atque Hæc sunt, (spectatissimi Auditores) inter alia Quamplurima, quæ â longè doctioribus Theologis facilius enumerentur, quædam præcipua supponendorum

ponendorum capita;è quibus præſuppoſitis, [Oportet]ut Neceſſariò Hæreſes eveniant,in Eccleſiâ Dei.

Tertiò venit Locus, ubi originem, ortum, & progreſſum ſortiuntur ſuum, diſpiciendus, ἐν ὑμῖν, Inter vos, id eſt, Inter vos Corinthios, apud quos Eccleſia jam fundata, & plantata eſt: Ità enim Legimus, Oportet eſſe Hæreſes, Inter vos. Pars. 3.

Et certe, ſub hoc capite, quædam fuſiùs amplianda eſſent, Ne, ſcilicet, (quod in re quâdam aliâ dixit Lirinenſis) immodicæ brevitatis ſtudio, rerum pondera orationis celeritate rapiantur: ut autem faſtidium vobis non creem, aut audiendi nauſeam; arctabo ſingula, ut prolixitatem hanc elapſam compendio redimam..

In ſecuudo verſu primi capitis hujus Epiſtolæ, Legimus, Hos ipſos Corinthios, ad quos ſcripſit, ſanctificatos dici in Chriſto Jeſu,& vocatos ſanctos; & tamen inter eos ità in Eccleſiam vocatos, exortas eſſe Hæreſes, palàm eſt: unde quidem hæc ſtabilis, atque inconcuſſa Veritas obſervari poteſt, videlicet,Eccleſiam in hoc mundo non eſſe cætum, omnibus numeris abſolute Purum, aut â ſcandalis, & contagio prorſùs, ac plene immunem: Eccleſia enim eſt velùt lilium inter ſpinas, *Cant.* 2.2. Bonis,ac malis permixta: quod quidem ab ipſis mundi primordijs, ab ipſo *Adamo*, ſive Domeſticâ Patriarcharum Eccleſiâ, ad hunc uſque diem, facillimè demonſtrari poſſit: ibi enim inventi ſunt *Cain* & *Abel*, *Semus* & *Chamus*, *Iſaac* & *Iſhmael*, *Jacob* & *Eſau*, *Ioſeph*, & *Reuben*, &c. *Jebuſai* habitârunt cum *Iſraelitis* in *Hieruſalem*, non depellendi. *Ioſh.* 15. 63. & quod

omnium maximum est, inter Duodecim Apostolos, Dominus habuit Judam proditorem, quem vocat diabolum, *Ioh.6.* 70. arguit hoc etiam insignis illa Ecclesiæ figura; Nempe, arca *Noachi*, in quâ fuerunt omnia animalium genera, pardus & hœdi, lupus & agni, sic in Ecclesiâ sunt Peccatores, & Justi, interpretante [d] *Hyeronimo*: quinetiàm, ut ex totâ illâ parabolâ zizaniorum inter medium Domini triticum disseminatorum, & succrescentium, *Math.* 13. abunde liquet: probant denique exempla Ecclesiæ Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, *Act.* 20. 30. Sardensium, ac Laodicensium, in quibus fœdissima subinde offendiculorum lolia suborta esse; tùm ex *Pauli*, quas ad eos scripsit, epistolis, tùm, ex *Apocalypsi Johannis*, cap 2. & 3. meridianâ luce clariùs elucescit. Neque verò ea est Ecclesia Dei, quæ infuscari labe aliquâ non possit, aut non interdum egeat instauratione; dixit Immortalis memoriæ Theologus *Anglicanus*, [e] Episcopus *Juellus*. Cùr enim fideles Christi œconomi, & ministri pastores appellantur, si oves nullæ sunt, quæ possunt errare? Cùr vigiles, si civitas nulla est, quæ possit prodi? Cùr columnæ, si nihil est quod possit ruere: Cùr denique medici, si nullus omninò morbus sit, sub quo nonnunquam grex, ac populus dei fatiscat? in corpore quantum velis puro, aut integro, nævus aliquis effruticat, veruncula exurgit, aut lentigo sordescit; imò, cœlum ipsum nulla serenitas tàm colata purgat, ut non alicujus nubeculæ flocculo resignetur, uti eleganter stylo suo *Africano* [f] *Tertullianus*: Itâ quidem nævi aliqui sunt etiàm in sanctissimâ Ecclesiâ, ait [g] *Bullingerus*,

d *Hieron.* Epist. 58. Vid. *Hooker.* ser. 1 in *Jud.* sect. 8. P. 100.

e *Juel* Apolog. Vol. 16 p. 95. 96. Vide Articulum 16. Ecclesiæ Anglicanæ.

f *Tertullian.* contr. Nationes. 1. 5.

g *Bullinger.* lib. 3. cap. 3. Advers Anabapt.

gerus, & [purgari] necesse habet, *Ioh.* 15. 2. ut fructus copiosiores ferat: Recte Schola, Perfectio Duplex est; una, quæ dicitur viæ, & alia Patriæ: jàm verò, status Viatorum differt a statu Comprehensorum; licèt non ratione Essentiæ, aut quoad partes, Tamen ratione graduum, & quoad mensuram omnium habituum infusorum, sive gratiarum gratos Electos facientium: successivorum enim non simul est esse, & perficere, sicùt ajt Schola: Nunc enim divinorum munerum (ut ita dicam) nondùm est perfecta perfectio; utpotè ubi omnis perfectus perfectionis est indigus: Namquè ille *Sanctus Apostolus*, qui dixit, *Phil.* 3. 12. 15. quotquot ergò perfecti sumus, hoc sentiamus; idem etiàm dicit, Non quod jàm acceperim; aut jàm perfectus sim: Fuit ergò perfectus, Spe futuræ Glorifications; (quod autem subest spei infusæ non potest non evenire, ait *Durandus*) fuit autèm Imperfectus, onere corruptionis; Fuit perfectus, Expectatione muneris; Fuit Imperfectus, Fatigatione certaminis, ut appossitè [h] *Fulgentius*: manet ergò, & perpetuò manebit, (donèc supremo *Domini Christi* ventilabro palea in æternum â tritico dissipetur) hoc [i] axioma inconcussum; Hìc, in horto patrisfamilias; simul sunt saliuncula, & abies; urtica & myrtus, tribulus & rosa; in grege *Jacobi*, animalia alba & nigra; agni & hœdi; in reti *Petri*, pisces boni, & mali; in arcâ Domini, granum cum paleâ; in cellâ Christi vinum cum vappâ, oleum cum amurcâ; in arcâ *Noachi*; animalia munda & immunda; in visibili Ecclesiâ, *Simon Petrus*; & *Simon Magus*; δοκιμοὶ, καὶ ἀδόκιμοι, synceri, & Hypocritæ:

[h] *Fulgent.* lib. 1. ad monim. p. 20. Vol. 8o.

[i] Conrad. Dieteric. Dn 3. post *Epiphan.* it *Gerardus*, in aureâ Catenâ, cap. De Ecclesiâ. sect. 15.

 quem-

quemadmodùm & hìc inter Corinthios hosce, apud quos Fcclesia jam actu fundata, & plantata est, inter purissimum sanæ Doctrinæ triticum, â sanctissimò *Apostolo* seminatum, pravissima Hæresium zizania succreverunt: Ita enim Legimus in Textu, Oportet enim & Hæreses esse, ἐν ὑμῖν. Inter vos.

Pars. 4. Atquè ita, demum, ad quartam, & ultimam Textûs nostri partem deventum est, sub quo Finis, ob quem Hæreses in Ecclesiâ Dei oriri permittantur, considerandus est, *viz.* ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν, ut qui probati sunt, manifesti fiant, Inter Vos.

Hic autem circumstantiæ duæ brevitèr explicandæ nobis proponuntur: Una, personarum; Altera, Rei, sive Finis ipsius: Personæ dicuntur esse δόκιμοι, viri probati, id est, nisi fallor, approbati; Metaphorâ ab ijs mutuatâ, qui auro in igne perpurgando suam solent operam dare, deinde, ad Lydium lapidem apponentes explorant, an pro metallo pretioso retineatur, an verò unà cum scoriâ reprobetur; cui quidem affine est illud, quo Sanctus P*etrus* usus est, verbum, in re quadam simili, 1 P*et*. 1. 7. τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου: Itaquè, δόκιμοι, sive probati, sensu *Paulino*, mihi videntur esse illi, quorum fides in igne Tentationum probata, magis clara, illustris, & candens ex ipsâ fornace provenit; adeò ut non solùm probentur, sed etiam ex ipsâ probatione, pro firmis in fide, pro fixis in doctrinâ, pro stabilibus deniquè in sanâ praxi, approbentur. Hoc de Personis,

Jam verò quod ad rem ipsam spectat, finemque ob quem in Ecclesiâ Dei Hæreses permittantur hic

caute

cautè agendum eſt: namque hæc particula [ἵνα,] ſive [ut], eventum denotat, (aſſerente *Beza*) non intentionem: (ut) enim, ſicut obſervavit *Ludolphus*, dupliciter accipi poteſt; cum ſit, vel [ut] * cauſalitatis, vel [ut] conſequentiæ: Hoc loco, ſenſu ſumitur ſecundo, non primo; nam ſi ideò ſeſe produnt Hæreſes, quia Dominus eas cauſaliter efficit; tùnc Hæreſes eſſent res bonæ, quarum ſolarum cauſa eſt Deus; cùm non ſit abſque blaſphemiâ, Author Peccati dicendus, *Iac.* 1. *ver.* 13. Aſt verò, quando ex permiſſione divinâ, & ſinente Deo, pernicioſæ Hæreſes eveniunt, tùm ex hoc eventu malo, novit Dominus operari bonum: Atque hinc quidem facilè diſcamus, quomodò Deus ſeſe præſtet juſtum, ac inculpatum, in permittendo; Homo vero ſe culpâ plenum, in faciendo malum; ſicùt *Auguſtinus* loquitur; quando Pater tradidit filium, filius ſeipſum, *Judas* vero Dominum; Solus tamen *Judas* peccati reus agitur; Ratio eſt, propterea quòd [cauſa] non eſt eadem, ob quam res hæc facta eſt: Simili illuſtro, ſumit medicus hirudinem, eâque ad exſugendum purulentum ægroti Sanguinem utitur, nec ante ſe avelli ſinet; quam ſit plena cruoris hirudo, quæ quidem hirudo ſibimetipſi ut ſatisfiat ſoli ſugit; medicus vero ob alium finem, levamen ſcilicet, & medelam valetudinarij, ſanguinolentiam totam ordinavit: Lucida eſt applicatio: Huc etiam referri poteſt, quod Rex *Aſſyriæ* ſanguinem ſpirans, virga iræ Domini Dei (non ex caſu fortuito, ſed ex juſto Dei per peccata offenſi judicio) caſtigando populo rebelli ac contumaci inſerviens appellatur: Cùm tamen ipſe nequaquam ita ſentiat, nequè

* *Pſal.* 51.4. & confer cum *Rom.* 3.4. ubi particula [ut] eodem ſenſu uſurpatur.

neque omnino in cor ejus inflatum, tumidumque intret; *Isa.* 10. 5. 7. Deus enim, licèt non sit Author malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum & ex malo opere cujuslibet mali non desinit ipse Bonum operari, ut rectè [k] *Fulgentius*: Ità ex invidiâ Fratrum *Josephi* vendentium eum in Captivitatem Ægyptiacam, operatus est Dominus Bonum, Nempe, totius paternæ *Josephi* familiæ liberationem, Ne â fame grassante prorsùs absumeretur, *Gen.* 45. 5. 6. 7. Hisce ita præmissis, Finis, Cùr permittantur Hæreses, faciliùs explicabitur.

Necesse est igitur, ut eveniant Hæreses, non quidem [Simpliciter,] quia tunc essent Res bonæ; Sed ad [melius] esse, sicut inquit [l] Halensis, utpote ex quibus idem Deus, qui è tenebris Lumen, è veneno antidotum, atque ex ipsâ morte vitam eruere potis est; etiam ex isto Hæresium aconito ἀλεξιφάρμακον, atque amuletum, ad eas tùm præveniendas, tùm depellendas, facillimè componat: Est (inquit Plutarchus) utilitas ex Hostibus capienda; ea vero utilitas, quæ provenit ex Hæresibus, est præter Intentionem Hæreticorum; Idcirco magis respiciendum est ad id, quod est per se de eorum Intentione, ut excludantur, quam ad hoc quod est præter eorum intentionem ut sustineantur, ut scitè *Thomas.* [m] Omnes inimici Ecclesiæ vel errore cæcati, vel malitiâ depravati [n] prosunt, ait *Agustinus*; quià, si accipiant potestatem Corporalitèr affligendi, exercent ejus patientiam; si vero malè sentiendo adversantur, exercent ejus Sapientiam: Quare, ut hujus totius tàm impolitæ, tamque prolixæ orationis meæ vela contraham: Sic breviter, accipite.

Per-

[k] *Fulgent.* lib. 1. ad monimum, p. 34. Vol. 80.

[l] *Alex. Hales.* part. 2. mem 9. qu. clix. p. 743. edit. 1622.

[m] *Thom.* 2. 2. qu 11. Art. 3.

[n] Vide Si*mon* Majolum Episc. ultraject. Colloq. De perfidia *Judæor.* tom. 3. p. 206. 207. &, 213. S. *August.* l. 16. c. 2. de Civit. Dei.

Permittuntur Hæreses, primò, ut sint in δοκιμασίαν, & probationem fidelium, Ità *Moses* innuit, o *Deut.* 13. 1. 2. 3. &c. Sub veteri; & *S. Paulus*, in hoc Textu nostro, sub novo Testamento, demonstrat: Scilicèt, ut fides habendo tentationem, haberet etiàm probationem, assentiente p *Tertulliano*: *Hector* erat tùm, cùm pro *Trojâ* bella gerebat, cecinit Poeta; In acie miles probatur, delicata jactatio est, ubi periculum non est, dixit q *Cyprianus*; Cui simile est illud r *Augustini*, Improbatio Hæreticorum facit [eminere) quid Ecclesia sentiat, & quid sana Doctrina habeat; Unde nauclerus laudabitur, si navis semper in portu, vel in tranquilitate consistit? ait *Primasius*, ad Textum. 2°. Porrò, ipse salvator noster innuit *Matth.* 13. 25. Inimicum Hominem tùnc selegisse opportunitatem superserendi zizania, quandò alto quodam sopore consopiti discubuerunt illi, quos in excubijs fuisse longè magis decuerat; quandò *Judas* cum satellitibus ad capiendum Christum vigilat, Petrus cum discipulis cæteris dormit, *Matth.* 26. 45. & feles acutiùs vident Noctu ad capiendos mures (sicùt ait quidam) quam Homo interdiù ad legendas literas; Idcircò, nonnunquàm permittuntur, ut Hæreticorum s inquietudine, scripturas vigilantiùs perscrutemur, undè, Ne ovili *Christi* noceant eis possit occurri, tanquàm de somno ignaviæ nostra excitetur industria: Denique, ex sententiâ unius t *Augustini* solidissimi, hæc tota periodus terminabitur: Prosunt (inquit) Hæretici plurimũ, non verũ docendo quod nesciunt; sed ad verũ quærendũ carnales, & ad verũ aperiendũ Spirituales Catholicos excitando: Multa enim ad

o Vid. explicat à *Vincentio Lirinensi*, in suo *Commonitorio*, ad vers. Hæres.

p *Tertullian.* de præscript. advers. Hæreses, initio, & cap. 30.

q *Cyprian.* lib. de *Mortalit.*

r *August.* lib. 7. c. 19. Confess.

s *August.* Epist. 105. ad Sixtum.

t *Augustin.* de verâ *Relig.* c. 8. & lib. 16. c. 2. de Civit. Dei

fidem Catholicam pertinentia, dùm Hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius & intelliguntur clariùs, & prædicantur inſtantiùs: Ita ergò, per multiplicem gratiã Salvatoris, etiam quod Inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit Eccleſiæ in adjutorium; Quemadmodùm u Perkinſus nôſter, numeroſo *Orthodoxorum Modernorum Theologorum* ſatellitio circumvallatus, ad veram veri Dei gloriam, ad fidelium ſalutem, ſed (ex plurimis Characteribus) ad falſorum, atquè αὐτοκατακρίτων Hæreticorum perniciem, damnationemquè ſempiternam, obſervavit.

u Vide *Perkins*: comment in *Matth.* c. 7. *verſ.* 15. it. D. *Prideaux*. ſer. in *Apoc.* 2.4 p. 16. 17. edit, 16. 36. ſect. 8. & ſer. cui *Tit.* Hæreſ. progreſs. it. D. *White*. ep. Eliens. in Præfat. tractat. de ſabbat. *Bulling*. præfat ad lib. contr. Anabapt. it. D. *King*. Ep. Londin. ſect. 24. in *Jon*. p. 328. &c. et innumeros alios.

Uberiùs hæc forſan, quàm officium meum, non ſpero, (Literatiſſimi Academici) quàm veſter ferat candor; Nequaqàm vero (mihi credite) quàm conditio Temporum, quæ quidem rem iſtam paulò copioſius exaggerandam, efflagitavit: Oportet enim & Hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt manifeſti fiant Inter vos: Pauca quædam (ſi placet) colophonis loco, ſubijciam, & illicò concludam.

Concluſio, ſive Applicatio.

Et nunc ubi querar? aut quos implorem? Imò, quis Lachrymarum torrens deflendis hiſce, in quæ incidimus, temporibus, moribuſve ſufficiat δάκρυα δὲ, (*Sineſio Teſte*) πάσης τῆς ῥητορείας ἰσχυρότερα. Nullus enim jam delinquendi vel pudor eſt, (ſicùt etiam olim queſtus eſt ad Demetriannm *Cyprianus*) & ſic peccatur a plurimis, quaſi magis per ipſa peccata placerent. Eheu! monſtrum hoc Hæreſëos palàm ſævit, & ita,

ita, quasi ipsâ audaciâ suâ tutum esset: & (quod *Hilarius* ad *Constantium Augustum* retulit) Fides Temporum magìs est quàm *Evangeliorum*; et intellectus (sicùt ait [w] *Cusanus*) currit cum praxi: ò Tempora, ô mores! Tempora mutantur; Utinàm non sequeretur, Nos et &c.———Ah! quæ spes vel minima residua esse potest, omnia protinùs serena, & pacata fore, cùm tam clamosa iniquitas judicia Domini, atquè ultrices tantum manus efflagitare videatur? quocunque oculos, mentemque convertas, suspensa omnia, & (ut cum [x] *Lipsio* dicam) suspecta: ac (quod Ego sane, Non exclamantis studio, sed Dolentis affectu pronuncio) velut in domo male fultâ signa plurima Ruinæ; adeo ut formidabile judicium illud Judæis (pœnitere nescijs) denunciatum a Salvatore Christo, Nobis merito metuendum sit, *Matth* 21. 43. Auferetur a Vobis Regnum Dei, & dabitur Genti meliorem, uberioremque fructum facienti: Si omnia, in universum, peccata Nationis hujusce Peccatricis, velut olim, ex jussu Domini [y] *Amalekitæ*, internecioni, & stragi dantur; Vnde fit, ut tanto ovium balatu, tali boum mugitu, etiamnum, aures nostræ adimplentur? Heu! quanta contentionum seges? quæ Schismata ubiquè? Quanta scandala? Quales rixæ? & Cùm omnia fecerint miseri, & malè feriati Homines, viri [x] ἄπτοι, Cum cœlum, & terram subtilis ingenij alâ pervolârint; quid aliud, quam cum *Aristophaneo Socrate*, ἀεροβατῶσι, per aërem incedunt? & plane μετεωρίζονται? imò verò, quæ hodiè, qualia, & quàm horrenda * Blasphemiarum (cœlum ipsum, more Gigantæo, petentium) prodigia! Eu! cœlum ipsum

[w] *Cusanus*, Epist 7. ad *Bohemos*.

[x] *Just. Lipsius*. l. 1. c. 1. & l. 2. c. 20. De constant.

[y] 1. *Sam*. 15. 14.

* Illud gravius & lugubrius, quod

ipſum petimus ſtultitiâ, neque per noſtrum patimur ſcelus, iracunda *Jovem* ponere fulmina: Hei mihi! qualis eſt noſtrorum zelus? non tantùm inſtar ſolis *Hezechiæ* in [* gradibus] receſſit; Verumetiam refrixit, riguit, tantùm non expiravit.

Sed quô feror? tanquam prorſus Immemor eſſem quis apud quos nunc verba faciam: (Benevoli Auditores), Licèt Hæc ad vos, & apud vos dicantur, at non de vobis ea vellem intelligi.

Et tamen in cujus Ego ſinum luctus hoſce, & lamenta meliùs, quàm in ſinum almæ matris *Academiæ Anglicanæ* (filius, uti ſpero, genuinus) effunderem? etenim vos (viri Patres, præ canitie veſtrâ venerabiles, fratreſquè in Chriſto Chariſſimi) cum oculos habeatis ad cœlum, manus etiam veſtras ad clavum apponatis, quaſi flexis poplitibus, precibuſquè ſupplicibus, ſeriò adhortor: Ferte opem, obnixè peto, atque in ſuppetias venite laboranti matri veſtræ Eccleſiæ, quæ ſic ſe derepentè mirata eſt, ab ipſis ſuis filijs (quos duorum Teſtamentorum * mammis lactavit, quos ſinu fovit, quos manibus enutrivit) inſtar concubinæ iſtius Levitæ, *Judic.* 19. In varias diſcerptam partes, tamque miſerè laceratam; adeò ut ſub ingraveſcente Schiſmatum, hæreſiumque pondere fatiſcens, tantùm non ſuccumbat gemebunda.

Audite S^r. *Paulum*, Sectis ubique contraëuntem, pacis verò, unà cum veritate ſtrenuum ὑπερασπιστήν, 1 *Cor.* 1. 10. Precor autem vos (Fratres) per, nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idem loquamini omnes, & non ſint inter vos diſſidia, ſed ſitis impacti eâdem mente, & eâdem ſententiâ: Regnum enim

peccatis veteribus Nova addimus: Nec ſolum Nova, ſed quædam Paganica, ac progidioſa, & in Eccleſijs dei antè Non viſa, jactantes ſcilicet prophanas in Deum voces, & contumelias Blaſphemantes, &c. *Salvian.* lib. 4. De *Gubern.* Dei.
* *Iſa.* 38. 8. Vid *Hooker.* Prefat. Eccleſiaſt. *Polit.* & p. 120. ſer in *Jul.*
* *Cantic.* 4. 5. &, 7. 3.

enim ipſum Dei in hoc poſitum eſt ab eodem Apoſtolo, *Rom.* 14.17.18.19, nimirum, in juſtitiâ, pace, & gaudio per ſpiritum ſanctum; Nam, qui per hæc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus: quæ igitur ad pacem faciunt, ſectemur, & quæ ad mutuam ædificationem; obſervemus eos, qui diſſidia & offenſas contra Doctrinam, quam rectè didicimus, faciunt, *Rom.* 16. 18. 19. Nempe, aſſerente Judâ Apoſtolo, *verſ.*6. ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις, & declinemus ab illis; nam, qui ejuſmodi ſunt, Domino Jeſu Chriſto non ſerviunt, ſed ventri ſuo, & per blandiloquentiam, atque εὐλογίαν, decipiunt Corda Fidelium: At ſi non per vos impediatis, quò minùs oriantur(nam Deus prædixit Hæreſes exorituras, & Diabolus (ſicùt dixit Monachus quidam, apud Antoninum, fratri ſuo qui, valedicto clauſtro, oppidum, non veritus præ ſenectute, & longâ mortificatione, tentandum fore, videre geſtiit) Diabolus, inquam, non moritur; ſaltem ſupprimatis velim exortas, idque in ipſis principiis, non foveri debet coluber, donec in draconem formetur: σπινθὴρ ἀνάπτει καὶ βραχὺς πολλὴν φλόγα, ait [c] Nazianzenus; ſimiliter, & [d] *Jacobus* Apoſtolus; *Ecce! Exigua ſcintillula quantam ſylvam inflammavit?* Allidite ad petras etiam [[e] parvulos] Babyloniæ, & (ſi fieri poterit) in ipſo embryone, ſuffocando, perimantur Hæreſes: capite non ſolùm [f] Vulpes(veteranos Hæreticos)ſed & vulpeculas, cum eæ adhuc ſubdole in caveis, aut ſpeluncis deliteſcant: Nonnè videtis, quo pacto, omnium prope Hominum genera, veluti toxico quodam Hæreſis dementat? & niſi maturè opponatur obex, verendum eſt, nè eo-

[c] *Nazianzen.* in Tetraſt.
[d] *Jac* 3. 5.
[e] *Pſal* 137.9.
[f] *Cant.* 2. 15.

g 2. Tim. 2. 17. uſque ſerpat g gangræna, ut etiam partes adhuc ſynceræ trahantur in excidium, totumque corpus periclitetur: Scitè quidam, Nullus Hoſtis nocuit ſæpiùs, quàm qui fuit contemptui; Exiguum h fermentum totam farinæ maſſam fermentat; de exiguâ coloquintidâ exclamant filij Prophetarum i Mors in olla: minuta rimula quanta ſæpe facit naufragia? cavendum eſt itaque, nè per rimulas haſce (ſicuti quibuſdam videntur) totus ſeſe intromittat Hæreſium, atque unà vitiornm Oceanus; maxima tutela ſalutis eſt, ſcire quem fugias. Præ alijs vero Tutores (ſi qui adſint) monitos eſſe velim, qui ſibi in clientelam ſuam, ingenuam â Parentibus traditam juventutem, erudiendam acceperunt; ut tales ſeriò proſpicerent, quônam principiorum odore recentes teſtas primùm imbuant: Ecce! in hiſce *Academiæ* aurifodinis, non tantùm linguas, Arteſque & ſcientias habetis, quibus teneras juvenum mentes ditetis, quaſi auro apud Havilam invento, quod in ipſâ ſacrâ paginâ dicebatur k [Bonum]; verumetiam, ſacratiora purioris Religionis, pietatiſque ſtudia hic vigent, quibus pupillorum veſtrorum ingenia, quaſi auro apud *Ophir* pretioſiori deaurata, & polita inſtruantur: Vos vero, (eruditi, optimæque ſpei juvenes) nolite committere, ut cum huc a parentibus veſtris mittamini, domum tandèm aurum illud *Ophir* pretioſiſſimum vobiſcum reportaturi, Nil niſi l pavonum coruſcantium pennas auferatis: Caveant inſuper Iuſpectores omnes, Nè ſicut galeros nunc dierum, pupilli habent (date veniam verbo) lemniſcatos, & diverſi coloris ornamenta; Non tamen intùs ſimùl habeant Pha-

h 1. Cor. 5. 6.

i 2 Reg. 4. 40.

k Gen. 2. 12.

l 1 Reg. 10. 22.

phalerata ingenia, & capita fluctuantibus opinionum diverſarum phantaſiis variegata: Nè, dùm Crines (Deus bone!) ferè ultra ſexum muliebrem luxuriantes alant, excrementitios ſimùl errores nutriant: ——venienti occurrite morbo. Sed pergo: Eſt quoddam Hominum genus, quod ſine hoſte vivere non poteſt; quemadmodùm veteribus Hiſpanis *Trogus* pronunciat, ità infenſum concordiæ, ut puro illius odio inimicitias ſuſcipiat; qui, impetuoſæ veluti Salamandræ, extra ignes, aut flammarum globos ſpirare non poſſunt: & quibus Metaphoris, quibuſve ſimilitudinibus crabrones hoſce (penè dixeram Circuncelliones, & agyrtas) aſſimilarem? Utinàm autèm abſcindantur (inquit Apoſtolus) qui vos inquietant, *Gal.* 5. 12. quemadmodùm enim, cùm multi trahunt funem in contrarias partes, ſi rumpatur, utrique graviter cadunt; ſic, cùm litibus Eccleſia agitatur, incommodum, & damnum ad omnes redit.

——*ſciſſura domeſtica turbat*
Rem populi, titubatque foris, quod disſidet intùs.

Nil diſſociabile firmum, dixit *Prudentius*.

Vultis autē audire (viri Patres, Fratreſquè in Chriſto Chariſſimi) quænam illa præcipua res ſit, quam (proùt, nùnc dierum, rerum facies ſeſe habet) potiſſimùm, & præ aliis paci Eccleſiæ maximè conducere, ego exiſtimo; ſic habete; & ſane ſi mihi nùnc linguæ centum ſint, oraque centum, centiès in auribus veſtris (velùt zelo Domini pacis exuſtus) repetita darem illa verba S.P*auli* ad ſuos P*hilippenſes*, cap.4. verſ.5.

verſ. 5. (præſertim, in hoc judiciorum diſſidentium æſtu, & paroxyſmo) Æquitas, ſive [Moderatio] veſtra innoteſcat omnibus hominibus, Dominus propè eſt: moderatio (inquam) (Fratres, qui hîc in ipſo matris Academiæ gremio aſſidetis) moderatio, moderatio: moderatio in linguis, moderatio in calamis, moderatio in pulpitis; in pulpitis (aio) Evangelicis: eheu! quid ſacris Dei oraculis, & civilibus hominum litibus? tractet fabrilia faber; Theologica Theologus: en! quàm lubens velim, uſque ad ravim, idem dulce, dulcius, dulciſſimum nomen moderationis repetere, & inculcare: moderatione enim ſepoſitâ, quantùm quidem ego (miſellus ut ſum homo) perſentiſco, citius (mihi credite) caput ſeptem oſtiorum Nili inveniri, citius duo Diametri termini conciliari poterunt; quàm animi, linguæ, calamivè hominum, tantâ Contentionum animoſitate turgeſcentium, convenire in unum. Quarè, ſicuti monuit ſalvator noſter, *Marc.* 9. 50. Habete ſalem in vobis ipſis, & pacem inter vos mutuò: jàm verò, ſal (inquit [n] *Hilarius*) in ſe uno continet ignis, & aquæ elementum, & eſt reverâ unum ex duobus, hoc eſt, quid tertium ex utroque coalitum, *&c.* eſt aqua, nè plus ſatis incaleſcamus; eſt ignis, nè tanquàm frigore obtorpeamus: Quod de pace dixit *Nazianzenus*, idem mihi nùnc liceat dicere de hâc virtute æquitatis, ſive moderationis Chriſtianæ; ab omnibus laudatur, â paucis verò ſervatur: ô quàm deſiderabile nomen pacis, quàm religionis Chriſtianæ ſtabile fundamentum! & quid dignum poſſumus (ait [o] *Chryſologus*) de pace proloqui? [p] pax nomen

[n] *Hilarius* in S. *Matth.* *Can.* 4.

[o] *Chryſolog.* ſerm. 149.

[p] *Epheſ.* 2. 14.

men eſt ipſius Chriſti, *&c.* pax una triumphis innumeris melior, cecinit ille, moderatio ſola triumphis innumeris melior, dico Ego: vultis argumenta, quibus ad utramque commoveamini? Ecce, inquit Apoſtolus, εἷς Θεὸς, εἷς μεσίτης, ἓν πνεῦμα, ἓν σῶμα τῆς ἐκκλησίας, πάντες ὡς εἷς ἐσμεν; Unus eſt [q] Deus, [r] unus mediator, unus [s] ſpiritus, unum [t] corpus Eccleſiæ; omnes denique verè credentes velùt in [u] unam Charitatis compagem, unione (ſicùt loquuntur Scholaſtici) unitionis, coadunari debemus: Hinc illa Ignatii Martyris fervens adhortatio ad ſuos *Trallianos*, ἀλλήλους ἀγαπᾶτε ἐν ἀμερίστῳ καρδίᾳ, πάντες, ὡς εἷς, εἰς τὸν ναὸν Θεοῦ συντρέχετε: Ecce, vepres, & ſentes, nefarij, & contentioſi Impoſtores ſeſe mutuò quaſi involventes complectuntur; ſcalæ (inquit ſanctus *Job*,) *cap.* 41. *verſ.* 15. 16. 17. balænæ, ſive Leviathanis quaſi viribus ſcutorum circumcluſæ ſunt ſigillo arctiſſimo, tàm propè ſunt, ut ventus non poſſit intervenire illis, continentes ſunt, ità, ut non ſejungantur: ſcalæ balænæ iſtius ità compaginatæ [Allegoricè] ſunt machinationes, conſilia, & conatus (penetratu difficiles) impiorum hominum peſſimè inter ſe coaleſcentium, & conſpirantium in veritatis corruptelam: Hei mihi! quòd nos in dies illos incidimus, quos *Tertullianus* appellat *Caniculares*, quandò latratu, & morſibus intempeſtivis nos mutuò proſcindimus: eheu! vulnera in lateribus Eccleſiæ noſtræ adeò latepatentia, ut nullâ niſi ſolius Dei (cujus miſerationum [w] viſcera pænitentibus ſeſe pandunt) manu ſupercœleſti, & Chirurchicâ medelam ullam ſortiantur:

q *Epheſ.* 4.6.
r 1 *Tim.* 2.5.
s 1 *Cor.* 12. 11.
t 1 *Cor.* 10. 17.
v *Gal.* 3.28.
w *Luc.* 1.78.

x Pſal. 29. 11. 1. Theſſ. 5. 23.

y Picus Mirandulan. Apud Granatenſ. tom. 2. concion. de Temp. pag. 130. vol. 8.

antur : Det autem Dominus Deus noſter Gratiam [x] pacis ; deindè (ſed non antè) pacem nobis conciliabimus inter Nos : quibus pacem [intendit] Dominus, iis etiàm corda pacifica ſimul infundit, & pacificos efficit : quâ de re [y] Picus mirandulanus in ſoliloquiis cum Deo, ſic in metro cecinit.

Major in erratis bonitatis gloria noſtris,
Et dare non dignis res magè digna Deo eſt.
Quanquàm ſat digni, ſi quos dignatur amare,
Qui quos non dignos invenit, Ipſe facit.

z Pſal. 133. 1.

Ecce, quàm [z] bonum, & quàm jucundum (ait pſalmiſta dulciſſimus) Fratres habitare in unum : in quæ verba *Bernardus* : ſunt quædam (inquit) Bona, & non jucunda ; qualia ſunt virtutes non ſine luctâ, & magnâ naturæ vitiatæ renitentiâ acquiſitæ ; quibus etiàm addamus paſſiones, & afflictiones Chriſtianas, animæ medicinales : ſunt quædam jucunda, & non bona ; qualia ſunt voluptates carnis evanidæ, quæ mel in ore, & in actu, fel autèm, & amarulentiam ſecum in corde portant ; quemadmodùm ficui ejuſmodi peccata comparat Cedrenus ; ὡς γὰρ ἡδὺς ὁ καρπὸς τῆς συκῆς, παχὺ δὲ καὶ πικρότατον τὸ φύλλον, οὕτω πᾶσα ἁμαρτία ἐν μὲν τῇ πράξει δείκνυται ἡδεῖα, μετὰ δὲ ταῦτα ὀδύνην παρέχει τῷ πράττοντι : Tertiò, ſunt quædam nec bona, nec jucunda, qualia ſunt omnia peccata enormia, conſcientias inquietantia, atque vaſtantia : Ecce autem denique, Fratres habitare unà, & in unum, & bonum, & jucundum eſt : Breviter : Hanc ſibi ceu prærogativam quan-

quandam singularem assumunt Sancti, ut reciprocationem (date veniam verbo) cum ipso Deo, in hâc gratiâ dilectionis, obtineant, quam in alijs non sunt experti gratijs: Nempè, quandò nos obedimus Domino, Dominus itidèm nobis non præstat obedientiam; quandò timemus, non timorem, & similia; sed quandò dilectionem, & amorem Deo reddimus, Deus itidèm & nos summo divini amoris effectu, quasi reciprocè, prosequitur, 1. *Joh*. 4 19. Nos, inquit Apostolus, diligimus eum, quoniàm ipse priùs dilexit nos.

Verbo expediam: eâdem mihi liceat coram vobis quâ [a] *Tertullianus*, apologiâ nùnc uti; Conditio præsentium temporum hanc admonitionem provocat nostram: Expergefactam ideò nùnc cupio vigilantiam vestram, nè ulteriùs serpat gangræna; & sicuti Demosthenes summus orator, (in suis Olynthiacis) Athenienses sub ingruentibus hostibus alloquutus est; εἴπερ ποτὲ καὶ νῦν, ὁ μὲν γὰρ παρὼν καιρὸς πολλῆς φροντίδος καὶ βουλῆς δεῖται.

Non est, quod apud vos adeò Doctos, adeò peritos, adeò zelo Domini flammatos, ego nùnc querar, quemadmodùm de ævo suo, luctu plenus, conquestus est olim [b] *Lactantius Firmianus*: Ergò (ait) quià defuerant apud nos idonei, peritique Doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent; causam omnem veritatis ornatè, copiosèque defenderent; provocavit quosdam hæc ipsa [penuria,] ut auderent scribere contra ignotam sibi veritatem: scio enim, quod *Paulus* jam factus, pro *Onesimo* apud [c] *Philemonem*

a *Tertullian*. de Præscript. advers. Hær.

b *Lactantius* l. 5. c. 21.

c *Philem*. vers 21.

nem Patronus, dixit, ſcio (inquam) quòd etiàm majora, & ultrà quàm ego dico facturi ſitis; præſertim tantâ undiquâque literatorum quaſi cohorte ſtipati; potentes non ſolùm exhortari in doctrinâ ſanâ, ſed etiam & convincere [d] contradicentes; Debet enim Divinarum ſcripturarum Doctor, defenſor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere; & in hoc opere ſermonis conciliare averſos, remiſſos erigere, neſcientibus quid expectare debeant, intimare, ait [e] *Auguſtinus*: Eſtis vos, ſicut [f] civitas in monte collocata, in quam oculi omnium coniiciuntur: Vultis mercedem? Ecce eadem vobis quæ Sancto *Paulo* in hâc eâdem palæſtrâ adverſus Hæreſes militi exercitato, corona Juſtitiæ in Cælo reponitur, 2. *Tim*. 4. 7. 8. τ̀ ἀγῶνα (inquit) τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, Certamen bonum certavi: atque, obiter, obſervatu dignum eſt, quônam verbo ad exprimendum eum, quem in Evangelio prædicando laborem exantlaverat, uſus eſt Apoſtolus, Nempè, [ἀγῶνα,] ἐτυμολογικῶς ab α, privativâ, & γωνία deducto; ut ſit quaſi ὁ γωνίαν ὐκ ἔχων τίπος, & proinde κυκλοτερὴς, e quo quis, velut e circulo, difficulter eluctatur, & in quo non facile eſt invenire angulum vel unicum, ubi fidelis verbi Dei diſpenſator, quietis ergò, caput reclinet: Semper enim τὸ λοιπὸν, 1. *Theſſ*. 4. 1. reliquum, & reſiduum eſt illi adhùc aliquid, in quo (nimirùm) vel εὐκαίρως, vel ἀκαίρως, 2. *Tim*. 4. 1. Tempeſtivè, aut intempeſtive ſeſe exerceat; vel [g] docendo, vel convincendo, vel redarguendo, vel corrigen-

d *Tit*. 1. 9.

e S. *Auguſt*. de Doctrin. Chriſtian. l. 4 c. 4.

f *Matth*. 5. 14.

g 2 *Tim*. 3. 16.

rigendo, vel erigendo, vel confirmando, vel dirigendo, vel reducendo, vel denique consolando: Non est ubi talis figat baculum, vel pedum suum pastorale deponat; donec opus suum in mercedem vertatur, & [h] mansionem suam, id est, locum manentem, & quiete plenum, pro se à Christo Domino in Cælis summis præparatum, glorificatus inveniat: At verò, certamine hoc bono adversus Christi, veritatisque hostes Hæreticos decertato, cursu in Evangelio prædicando consummato, fide in lucrandis animabus servatâ; quod superest reposita est *Athletis* illis Evangelicis corona justitiæ, quam reddet eis Dominus, in illo Die, justus ille judex; imò, & omnibus, qui expetiverint illustrem illum ipsius Adventum.

h *Joh.* 14. 1.

Precatio.

Deus pacis, & pater omnium misericordiarum, cui Ecclesia sua summæ curæ est, [i] conterat Satanam furibundum sub pedibus sanctorum suorum, ἐν τάχει; Nè velùt [k] leo rugiens, per (Hæreticos,) ulteriùs Fidelium Conscientias perplexas reddat, & perturbatas: Dissidia nostra, præsertim in religione, maturè componat, & ditionibus hisce laceris restituat pacem; spissas errorum qualiumcunque, Hæresiumque caligines dissipet: Fontes Academiarum limpidos, imò ipso Chrystallo nitidiores, ab omnibus Doctrinarum, morumque inquinamentis puros conservet: Nosque omnes, denique, in verita-

i *Rom.* 16. 20.
k 1 *Pet.* 5. 8.

te;

te; unitateque conjunctos, ſartos, tectos protegat, & tueatur, uſque ad ſempiternam gloriam: Idque faxit! per, & propter Chriſtum ſuum, Jeſum noſtrum, Dominum, & ſalvaterom noſtrum Unicum; Cui cum Patre & ſpiritu ſancto, ſit omnis laus, & Gloria, ex hoc nunc, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.



